
LIBRARY OF PRINCETON
OCT 11 1988
THEOLOGICAL SEMINARY

FRANCISCANUM

no. 7-9

Revista Cuatrimestral

Estudios Eclesiásticos Franciscanos

Calle 72 # 10-88 Bogotá 2 D.E. Colombia S.A.

LA PORCIUNCULA

Año III Enero-Abril 1961 No. 7





Eminentísimo Señor Cardenal
LUIS CONCHA CORDOBA
Arzobispo de Bogotá y Primado de Colombia

"FRANCISCANUM" AÑO III SUMARIO

A Su Eminencia Reverendísima, Señor Cardenal LUIS CONCHA CORDOBA, presenta "FRANCISCANUM" un reverente saludo de felicitación, al ser promovido a tan alta dignidad.

Las Editoriales, Instituciones y autores que deseen se publiquen reseñas de sus libros en nuestra Bibliografía, deben enviar un ejemplar de ellos a esta Revista.

DE SIGNIFICATIONE MONTIS SION IN SACRA SCRIPTURA

P. DARIUS CORREA GOMEZ.

CAPUT SECUNDUM

PROPRIETATES SION-IERUSALEM

Sion-Ierusalem a Yahweh speciali dilectione electa in sedem et requiem suam in medio populi electi, proprietatibus peculiaribus gaudet. Hac de causa, in praesenti capite de his proprietatibus agendum est, nempe: de sanctitate ac firmitate Sion-Ierusalem.

Articulus I

Sanctitas Sion-Ierusalem

Quemadmodum mons Sinai in quo Yahweh legem dedit, sanctissimus consideratus est, ita ut ex ipso praecepto divino nullus nisi Moyses (Ex.19,23) posset eum as-

cendere, immo ne tangere quidam sub poenam mortis (Ex.19, 12), ita pariter mons Sion, ubi aderat Arca foederis seu signum praesentia Yahweh, magna sanctitate praedictus - fuit, adeo ut in sanctum sanctorum solus summus sacerdos ingredi posset et quidem semel tantum in anno seu die magnae expiationis,(die decima Tisri, i.e. septembri-octobri), iuxta praeceptum Domini (Ex.30,10; Lev.2,34;Hebr. 9,7).

In V.T. conceptus sanctitatis includit segregationem vel subtractionem ab usu profano seu non sacro - (Num.17,2ss.; Dt.22,9): res ideo habet characterem omnino sacrum et punctualem ita ut sanctitas characterizet divinitatem (Am.4,2 = 6,8); gloria Dei est ipsa eius sanctitas (Ez. 28,22; Is. 48,11) et Yahweh est sanctus quia solus ille est Deus (I Sam. 2,2). Omne quod est Dei, est sanctum seu divinum, nempe: nomen Dei (Am. 2,7; Ez. 20, 39), verbum eius (Ps. 104,42; Is. 23,9), spiritus eius (Ps. 50,13; Is. 63,10) et brachium eius (Ps. 97,1; Is.52, 10). Sanctitas Dei in V.T. eo quod sit ipsa divinitas in qua nihil est profani, includit etiam notam inaccessibilitatis (Ex. 19, 23; Is. 65,5).

Hanc ob causam, si quod obiectum, locus vel persona pertinent ad Deum, ipso facto fiunt sancta seu segregata ab usu non sacro et reservata Deo eiusque cultui. Hoc sensu plura sunt sancta seu sacra in V.T., sc.: oblationes (Ex.28,38; 39,33; Ios. 6,19; Is. 23,18),oleum et panis (Ex. 30,25; I Sam. 21,5); omnia loca ubi habitat Yahweh (Ex. 15,17), ut coelum (Dt. 26,15; Mich.1,2), tabernaculum (Ex.25,8; 29,31), Palaestina (Is. 64,9)terra Iuda (Ps. 113,2), domus David (2 Chr. 8,11), templum (Is. 64,10; Ps. 5,8), collis templi (Is. 11,9;Ioel. 2,1) urbs Ierusalem (Is. 48,2; 52,1). Personae sunt sanctae - quatenus ob qualitatem spiritualem appropinquant ad Deum vel quatenus ratione cultus pertinent ad Deum; hoc sensu milites dicuntur agere bellum sanctum, bellum Yahweh, et ideo "sanctificant bellum" (Is.13,3; Ier. 22,7; Ioel 4,9;

Mich. 3,5; Soph. 1,7); et praesertim sancti vocantur sacerdotes (Ex. 29,44; Lev. 21,1-15).

Res sanctae quatenus sunt consecratae Yahweh - et segragatae ab usu non sacro, habent in se etiam notam intangibilitatis seu inaccessibilitatis ob participationem divinam. Hoc modo explicatur factum in I Sam. 5-6 et 2 Sam. 6,6ss., in quo Arca foederis apparet sicut quaedam vis repellens et percutiens omne non sacrum quod tangat illam; solum illi qui sanctus est licet eam tangere. Hac de causa etiam bellum Dei est sanctum, quia antiquitus omnis vis bellica procedebat ex Arca (Num.10,35s.; - Ios. 6). (1).

Ideo, si Arca uti verum signum praesentiae Yahweh est quid repellens et inaccessibile, logice Sion-Ierusalem, ubi Arca seu praesentia Yahweh sedet, particeps fit sanctitatis seu intangibilitatis divinae. Ideo generatim sanctitas Sion-Ierusalem consideranda est sanctitas cultualis, in quo sensu praesertim accipienda est - sanctitas in V.T. quando dicitur de rebus et locis, et aliquando etiam de personis.

A.- Ps. 14; 23, 3-4 (H.15; 24,3-4): Mons Sion inaccessibilis impiis.

v.1 Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo, quis habitabit in monte sancto tuo?

v.2 Qui ambulat sine macula et facit iustitiam et cogitat recta in corde suo,

v.3 Nec calumniatur lingua sua;
Qui non facit proximo suo malum, neque opprobrium infert vicino suo,

v.4 Qui contemptibilem aestimat improbum, timentes vero Domino honorat;

v.5 Qui, etsi iurabit cum damno suo, non mutat, pecuniam suam non dat ad usuram neque accipit munera contra innocentem (2).

Sanctitas montis Sion in his locis habet significationem inaccessibilitatis omnibus peccatoribus, quia ad locum sanctum solum possunt accedere qui ministerio sacro consecrati sunt vel qui qualitate spirituali appropinquant ad Deum, id est, iusti seu illi qui sermant legem Dei.

In duobus psalmis agitur de universis fidelibus qui adimplent legem; solum hiis licet commorari seu habitare in monte sancto quia tantum illi habent conditiones ad ingrediendum in locum sanctitatis seu inaccessibilem. Huiusmodi conditiones in his psalmis per se patent et non est cur immoremur in illis examinandis, eo vel magis quia possunt reduci ad haec pauca verba: ut aliquis possit commorari in monte sancto, necesse est ut sit iustus (Ier. 7,2-7), id est ut servet legem Yahweh (Ps. 96,11; Is. 26,7; Ez. 33,12) et charitatem erga proximos.

Res immunda profanat rem sacram, ideo et ipsa res sacra purificanda est (Lev. 16,19; 2 Chr. 29,5.17). Laici igitur qui non servant legem Yahweh et sacerdotes qui peccatis profanantur, debent purificari antequam accedant ad rem sacram per excellentiam seu montem Sion ubi sedet seu habitat ipsa sanctitas seu Yahweh. Propterea ad ingrediendum in montem sanctum, non solum requiritur sanctitas cultualis seu destinatio ad cultum divinum verum etiam sanctitas personalis seu qualitas intrinseca per adimpletionem legis sibi comparata qua persona appropinquat ad sanctitatem Yahweh.

B.- Is. 57,13: Mons sanctus possessio confidentium in Yahweh.

Cum clamaveris, salvabunt te idola tua,
sed omnia ea auferentur a vento, aura tollet!
Sed qui confidit in me, hereditabit terram.
et possidebit montem sanctum meum.

Propheta arguit scelera populi praesertim idolatriam quae nihil ei prodest; e contra, qui confidit in Yahweh, possidebit montem sanctum eius.

Populus valde pronus erat ad idolatriam, ponebatque omnem suam fiduciam in idolis aliisque rebus, despiciens yahweh, verum et unicum Deum Israel (Cf. Is.2,8; 17,10; 30,1ss.); idcirco, Yahweh idolice dicit idola populum salvatura esse, et deinceps demonstrat impotentiam idolorum, quippe quae a solo vento et tenui flatu destruantur. Ventus et flatus frecuenter inserviunt ad describendam potentiam Yahweh et impotentiam idolorum (Cf. Is. 41,15ss.; 46,2).

Confidentia igitur populi esse debet solum in yahweh (Is. 50, 10; 51,7), nam ille solus qui fiduciam - habet in Yahweh per adimpletionem praecertorum eius, et eius spiritus contritus a Yahweh ipso meretur, hereditabit terram promissam seu Palaestinam (Ps. 36,9. 22.29; Is. 60, 21); et possessionem habebit in monte sancto seu Sion, ubi invenitur tabernaculum Yahweh seu verum refugium et requies (Is. 28,12.16; 56,7).

Qui possidet montem sanctum, habet plenam securitatem contra omnes inimicos; nam praecise mons Sion dicitur sanctus eo quod in eo habitat Yahweh; id est, Sion est sedes ipsius sanctitatis, qua de causa, nisi Deus ipse permittat, nullus potest manum extendere contra Sion,

nam ipso facto percutietur. Praecise in hoc consistit favor possidendi montem Sion, quia ob sanctitatem eius et praesertim sanctitatem Yahweh qui in eo habitat, unusquisque potest esse securus nec debet terreri, dummodo confidat in Yahweh adimplendo legem. Ex hoc deducitur Sion - consideratam esse a populo fontem omnium favorum, uti videbimus in articulo tertio capitis tertii.

C. - Is. 65,11-12; oblivio montis Sion est causa ruinae.

v. 11 Sed vos qui dereliquistis Yahweh,
qui obliti estis montem sanctum - meum,
qui ponitis mensam Gad,
et libatis pro Meni:
v. 12 destinabo vos ad gladium,
vos omnes in caede corruitis,
quia vocavi et non respondistis;
locutus sum et non audivistis;
sed fecistis malum coram me,
et illud in quo non delectabar elegistis.

Yahweh puniet peccatores pertinaces, praesertim idolololatras qui derelinquunt montem sanctun et sacrificant in excelsis. Ex alia parte, salvabit iustos - seu fideles legi.

Populus oblitus est Yahweh et montem sanctum, requiem et sedem Yahweh, praeferens ritus deorum paganorum (Ez. 23,41) ut Gad, qui erat deus aramaeus ("fortuna"), saepe in nominibus compositis apparens: Baal-Gad - in monte Hermon (Ios. 11,17; 12,7) et Migdal-Gad in Iuda (Ios. 15,37). Meni est deus incognitus; forsitan est dea araba "Manat", id est pariter "fortuna" (Cf. Koran, Sura 53,20).

Ideo Yahweh puniet infidelitatem populi et pertinaciam, quia noluit audire et respondere Yahweh, fecitque contrarium (Cf. Is. 64,4; Ire. 7,13); dereliquit namque et oblitus est montem sanctum.

Tandem, in v. 25 sanctitas montis Sion intime conectitur cum nova creatione seu novo ordine rerum, in quo Ierusalem et cives eius habebunt perfectam felicitatem, nullam molestiam, perfectam securitatem. Conceptus novae creationis in hoc loco quoad Ierusalem et populum non est aliquid novum, nam prophetae solent destructionem Israel depingere ob sua peccata seu carentiam iustitiae, tamquam ruinam mundi (Cf. Is. 29,6; Ier. 4,16-29); et pariter restaurationem Ierusalem et populi repraesentat in nova creatione, ubi iustitia seu adimpletio legis regnat et omnes homines cultum Dei in Sion offerunt (nota messianica) et apostatae puniuntur (Cf. Is. 66,22-24), atque prosperitate et absentia molestiae omnes gaudent (Is. 65,23).

Ruina ergo Ierusalem et populi evenit praecise ob carentiam sanctitatis personalis, id est, ob idololatriam et alia peccata (V.lss.); qua de causa populus derelinquit et obliviscitur Yahweh sanctum et sedem eius, et tunc Sion-Ierusalem amittit inaccessibilitatem seu securitatem quas sanctitas ei praebebat. Igitur sicut textum praecedentem, ille qui possidet montem sanctum, habebit plenam securitatem ob inaccessibilitatem quae procedit ex sanctitate, ita in nostro textu qui derelinquit et obliviscitur montem sanctum, habebit ruinam, quia deest illi securitas quam secum portat sanctitas. Notandum est in his textibus sanctitatem montis Sion non sufficere ad securitatem Ierusalem et populi sed necessariam esse quoque sanctitatem personalem seu ethicam mediante adimpletione legis.

D. - Abd. 16: Punitio profanantium montem sanctum

Quomodo enim bibistis
super montem sanctum meum,
ita bibent omnes gentes iugiter;
bibent et absorbent,
et erunt ac si non fuissent.

In hac brevissima prophetia thema unicum est exterminium Edom ob scelera sua et potissimum quia fuit inimicus Israel fratris sui et gavisus est de destruc-- tione Ierusalem. Yahweh retribuet Edom eadem mensura,et etiam Edom bibet calicem irae divinae.

Fit allusio etiam ad inimicos alienigenos ut in V.11, sed praecise ad Edom, qui revera bibit super montem sanctum vel sensu stricto, id est, bibit vinum - in signum laetitiae ob destructionem Ierusalem,sicut cla- re dicitur in versibus praecedentibus, nam mos erat bi- bere vinum ad laetitiam manifestandam ob aliquem eventum felicem (1 Chr. 29,22); vel probabilius in sensu meta-- phorico, quatenus ipse Edom particeps fuit in destruc-- tione civitatis, uti patet ex v.11 et magis adaptatur - conceptui profanationis et subsequentis punitionis.

Ideo, eo quod Edom et nationes profanaverunt montem Sion, et si non percutiantur statim sicut Oza (2 Sam. 6,7), tamen bibent calicem seu sortem vindictae di vinae (ps. 74,9; Is. 51,17; Ier. 15,7) seu punitione ob noxii evadent, de qua loquuntur saepe saepius prophetae post-exsiliaci (Ier. 49,12; Thr. 4,2; Ez. 35,1-15; Ioel 3,1ss.); et revera vindictam faciet Yahweh ope Israeli- tarum superstitum, qui vi induentur ab ipso ad Edomitas debellandos (v.21). Hic apparet quaedam species " legis talionis" et confirmatur quoque sanctitas Sion-Ierusa-- lem. Conceptus igitur etiam cultualis et militaris adest.

Articulus II

FIRMITAS SION-IERUSALEM

Cum sanctitate etiam arcte connectitur conceptus protectionis divinae erga Sion-Ierusalem. Revera firmitas Sion tali modo impressa erat in mente populi Israel, ut aliquoties securitas nationis videatur posita magis in Sion-Ierusalem una cum templo quam impotentia ipsa divina. Hoc constat ex Ier. 7,4, ubi ipse Yahweh exhortatur populum per os prophetae ut faciat bonum, propter quod Yahweh semper habitavit in Ierusalem neve confidat solummodo in verbis mendacii, dicendo: "Templum Yahweh, templum Yahweh, templum Yahweh hic est!" Repetitio triplex indicat vi talis confidentiae populi in templo. Et hoc confirmatur ex eo quod narratur in ipso Ier. c.26: Propheta ex mandato Yahweh predicere debuit destructionem templi et Ierusalem; qua de causa, sacerdotes et omnis populis damnaverunt eum ad poenam mortis, dicentes: "Iudicium mortis est huic viro, quia prophetavit contra civitatem istam" (v.11); prophetis enim contra templum et civitatem videbatur gravissima offensio contra ipsam nationem. Certe populus non damnavit eum, quia tandem intellexit propheta locutum esse nomine Yahweh, sicut antea locutus erat Micheas (3,12) in diebus Ezechiae regis, quae occasione rex non solum non occidit prophetam, sed potius timuit et deprecatus est Yahweh veniam.

Ex his testimoniis clare patet conceptus populi circa firmitatem et perennitatem Sion-Ierusalem. Praesertim in psalmis protectio et firmitas Sion-Ierusalem repraesentant victoriam Yahweh contra potentias gentiles, ita ut civitas considerari possit tanquam "Palladium" universi populi Israel (3), uti etiam vocatur a Gelin (4); destructa Ierusalem ipso facto natio quasi amittebat fundamentum suum politicum et religiosum.

A. - Ps. 45,5-6 (H.46, 5-6): Sion-Ierusalem civitas immobilis.

v.5 Fluminis rivuli laetificant civitatem Dei, sancti
sanctissimum tabernaculum Altissimi.

v.6 Deus est in medio eius, non commovebitur;
auxiliabitur ei Deus primo diluculo(5).

Psalmus celebrat protectionem Yahweh erga civitatem sanctam,et ideo est canticum gratiarum actionis. - Sion-Ierusalem habet summam protectionem, flumen enim circumdat eam et fit veluti sanctissimum tabernaculum Altissimi, quia Deus est in medio eius, auxilium praebens ei a primo mane.

Sion-Ierusalem, civitas Yahweh, uti frecuenter apellatur (Ps. 47,2; 86,3; Tob. 13,11), apparet veluti - circumdata flumine quod laetificat eam. De quonam flumine agitur? Sane nullum flumen transit per Ierusalem;ideo studere debemus quonam sensu flumen istud accipiendum sit. Si consideramus contextum praecendentem ubi aquae ponuntur ut figura catastrophes (etiam in Gen. 7,21; Ez. 26, 19 et passim) et contextum subsequentem, ubi Yahweh apparet tamquam diligens auxiliator civitatis, concludi potest quod Yahweh est tamquam flumen quod defendit civitatem, iuxta conceptionem antiquam; nam civitates ob fortificationes famosae ut Ninive, Babel et nationes ut Syria, Aegyptus, munitae erant fluminibus amplis (Cf. Nah. 2,6-8; Ps. 136,1; Ez. 31,3-5; Nah. 3,8).

In Ez. 47,1-12, Ioel 4,18 et Zach. 14,8 fit allusio ad aliquam irrigationem mirabilem, quasi paradisiaca Ierusalem, tempore restaurationis; hi textus videntur esse ad nostram quaestionem, quia metaphorice describunt felicitatem Ierusalem sub cura immediata Yahweh positam.

Eo quod hic agitur de protectione civitatis, forsitam posset haberi aliqua allusio ad pisciram Siloe, quae revera eo fine facta est, ut uniret fontem Gihon civitati et sic civitas haberet securitatem tempore obsidionis (Is. 22,9-11; 4 Reg. 20,20; 2 Chr. 32,30); igitur aquae Siloe erant veluti quaedam imago protectionis divinae; et reapse iuxta Is. 8,5s., aquae istae Siloe praesentantur ut figura ipsius Yahweh protegentis et auxiliantis Ierusalem: Quidquid sit, ex contextu patet hoc flumen metaphorice designare felicitatem Sion-Ierusalem, positam sub cura et protectione immediata Yahweh, quae est medium quo hostes vinci possunt (2 Chr. 20,27; Ier. 31,13).

Hac de causa, quia Yahweh est in medio civitatis, auxiliator et protector eius, Ierusalem dicitur sanctissimum tabernaculum Altissimi; id est, locus securus et tutus Altissimi seu Yahweh (Ps. 7,18; 9,3), illa non succumbit infortunio vel adversariis, sed firmiter stat sicut ipsa terra et orbis (Ps. 92,1; 95,10). Igitur Sion-Ierusalem civitas invicta, ob protectionem Yahweh, et quidem in sensu militari.

B. - Is. 4, 5-6: Praesentia Yahweh protegit Sion-Ierusalem.

v.5 Tunc creavit Yahweh super totum situm Sion
et super convocationem coetus,
nubem per diem et fumum,
et splendorem ignis flammantis in nocte;
quia super totum gloria erit protectio.

v.6 Et tabernaculum erit umbraculum
diei ab aestu,
et refugium ac absconsio
a turbine et a pluvia

Agitur hic non solum de gloria civium Sion mediante purificatione a spiritu iudicii et combustionis - facienda, id est, mediante punitione impiorum (Is. 5,16; 34,5; Ier. 1,16; 4,12) verum etiam de gloria ipsius Sion-Ierusalem super quam est praesens Yahweh eodem modo ac in tempore Exodi. In hoc capite inveniuntur conceptus de "germine Yahweh" quod significare potest vel prosperitatem terrae tempore restaurationis (Is. 30,23; Ier. 31,12; [illegible] 34, 26 et passim) vel ipsum Messiam (Ier. 23, 5; 33, [illegible] Zach. 3,8; 6,12); de alio conceptu nempe "residuo" valde [illegible]itato apud Isaiam tractandum est in capite quarto. [illegible]stro proposito immediate tantum interest videre firmi[illegible] Sion-Ierusalem sub protectione divina positam.

Adducuntur in his versibus metaphorae, ex historia religiosa Israel desumptae, ad demonstrandam indo[illegible] religiosam populi et protectionem Yahweh in futuro. [illegible] oculis habere debemus quod oraculum est conditiona[illegible], prout ex particula אם eruitur; id est, si Dominus abluerit et laverit peccata Ierusalem cum iudicio, - tunc venit protectio praedicta sicut in foedere sinaiti[illegible].

Super totum situm montis Sion Yahweh creavit - [illegible] et fumum per diem, et splendorem ignis flammatis - per noctem, et ideo tabernaculum erit tamquam umbra contra aestum et tamquam tegumen contra turbinem et pluviam. Nu[illegible] saepissime adhibetur ut figura seu signum praesentiae [illegible]vinae (Ex. 13,21; 14,19-20; 40,43-46) et pariter ignis [illegible]m. 9,16; 14,14; Dt. 1,33; Neh. 9,19; Ps. 68,8; 78,14). Tempore restaurationis praesentia Yahweh erit super situm montis Sion et super totum populum ibi congregatum - ad cultum peragendum, eodem modo ac erat super Arcam foederis temporis Exodi (Ex. 40,34-38).

Praesentia divina cooperiente montem Sion, tunc tabernaculum, quod est refugium seu locus securus et tu[illegible] (Ps. 26,5; 30,21) erit tamquam umbra, seu tutela et

protectio (Ps. 16,8; 35,8; 56,2; Is.25,4; 32,2) contra aestum solis et contra turbinem et pluviam, id est, elementa quae symbolum inimicorum oppugnantium adhibentur in sacro textu (Is. 25,4-5). Aliis verbis Yahweh erit protectio communitatis ita ut hostes militares ei nocere nequeant.

Ratio talis protectionis expresse dicitur in textu esse quia (כִּי) super omnes gloria (Yahweh) erit חֻפָּה et quidem sicut thalamus (Ps. 18,6; Ioel 2,16) vel melius sicut tectum protegens (Sir. 40,27). Gloria Yahweh similiter in Scriptura apparet tamquam signum visibilis praesentiae eius extraordinariae (Ex. 40,32; 3 Reg. 8,10s.; 2 Chr. 5,13; Iss; Ez. 43,5).

Sion-Ierusalem igitur plenam securitatem et tranquillitatem habet, nec timere debet impugnationes inimicorum et molestiam solis et tenebrarum, quia Yahweh realiter et luminose est praesens super eam tamquam tectum protegens et tutela, et quidem in sensu religioso et cultuali.

Signa insuper concrete denotant protectionem Yahweh erga populum, quae desumpta ex prodigiis Exodi, pertinent ad usum popularem (Ps. 120,5-6). Praedicitur ergo epocha futura, prosperitate spirituali et religiosa praedita, cum elementis prosperitatis etiam materialis, cuius centrum est Sion-Ieruaalem.

C. - Is. 11,9: Securitas in universo monte sancto Yahweh.

v.9 Non nocebunt neque occident
in universo monte sancto meo,
quia repleta erit terra scientia Yahweh
sicut aquae operiunt mare.

Pariter in hoc loco agit Isaias de restauratione populi mediante restaurationis radicis Iesse, quae in se habet specialia dona. Restauratio affert perfectam concordiam et scientiam Yahweh in mundum: et domus David glorificabitur. Specialem attentionem movemus ad vv. 6-8 ubi habetur descriptio fere paradisiaca ob pacem et concordiam animalium inter se et relate ad homines. Annotare debemus quod subiectum huius strophae non est idem ac praecedentis, sed indeterminatum; et praeterea, quod invenitur prima pars strophae etiam in 65,25, quo in loco pax inter animalia intime conestitur cum tranquillitate ac securitate in monte sancto; sed non habetur secunda pars strophae seu de scientia Yahweh.

Certo certius causa seu ratio talis pacis paradisiacae non est alia nisi quia terra Palaestinensis repleta erit scientia Yahweh, uti patet ex secunda partae strophae. Et tunc haec stropha conectitur cum praecedenti, quia ferae non nocebunt praecise quia terra Palaestinensis repleta erit scientia Yahweh. Ideo ferae antea nocuerant impugnitionem pro malo morali seu ignorantia Yahweh, certe culpabili.

Pax inter homines et feras ponitur in tempore restaurationis; quo facto revocatur status paradisiacus, in quo primi parentes cum feris tranquille cohabitabant (6).

Cognitio Yahweh idem est ac vita religiosa (2, 2s; 30,21) seu ipsa iustitia quae generat pacem (32,15-17); aliis verbis, cognitio Yahweh est practica non theorica. In Os. 2,20-22 et 6,6, inculcatur reformatio ethico religiosa quae secum fert consecuentem felicitatem populi; haec felicitas seu pax quas in hoc textu describitur consistit in mansuetidine ferarum, intime conectitur cum iustitia seu fidelitate populi ex qua deducitur cognitio Yahweh; in 6,6 clarius apparet identitas inter iustiam et cognitionem Yahweh (Cf. Ier. 9,4). Praete--

rea, in ipso Os. 4,1.6 carentia cognitionis divinae est idem ac carentia iustitiae.

Bellum igitur inter homines et feras est aliquid punitivum et inordinatum, ob iniustitiam hominum. - Quando homines habuerint plenam cognitionem Yahweh, id est, quando exercuerint plenam iustitiam cum adimpletione mandatorum Dei, tunc erit pax inter omnes creaturas, quia revera pax est opus seu fructus iustitiae, iuxta Is. 32,17. Ex alia parte, descriptio haec non est mere symbolica sed etiam litteralis, eo sensu quod continet spem - realis pacificationis inter homines et feras, praecise - tempore messianico.

Securitas quam mons Sion incolis suis praebebit in tempore messianico proveniet ex scientia Yahweh, scilicet habitantes praecepta Yahweh adimplendo sive - creabunt condiciones pacis paradisiacae.

D. - Is. 31, 4-5: Protectio specialis Yahweh erga Sion-Ierusalem.

v.4 Quia haec dixit Yahweh ad me:
Sicut rugit leo
et catulus leonis super praedam suam
contra quem occurrit multitudo pastorum
sed vocem eorum non formidat,
et multitudinem eorum non pavet,
sic descendet Yahweh exercituum ad - praeliandum
super montem Sion et super collem eius

v.5 Sicut aves volantes
sic proteget Yahweh exercituum Ierusalem
protegens et liberans praemuniens et salvans.

Sicut in capite praecedenti, ita hic Isaias reprobat foedus Israel cum Aegypto, eo quod populus confidit in equis et quadrigis Aegyptiorum qui sunt homines, magis quam in Iahweh qui solus potens est ad salvandum populum.

Repraesentatur Iahweh sicut leo qui non pavet multitudinem pastorum vigilantium gregem nec formidat vocem eorum (Ier. 49, 19; Am.3,12). Frecuentissime in Scriptura Iahweh depingitur tamquam leo: Iahweh habet maiestatem et furorem leonis in adimpletione suae iustitiae vindicativae (Is. 38,13; Ier. 25,38; Am. 3,8; Sir. 27,31). In Ier. 25,30; Ioel 4,16 et Am. 1,2, verba Iahweh sunt sicut rugitus leonis qui faciunt trepidare omnes. Ideo, sicut nullus pastor auferre potest praedam leoni, ita nullus, neque Assyrii (v.8) possunt capere Sion-Ierusalem, quia Iahweh custodit eam ut leo impavidus et inaccessibilis.

Imagine avis quae protegit pullos suos, indicatur cura et protectio, ut ita dicamus, materna Iahweh erga Sion-Ierusalem. Simili figura depingitur cura Iahweh erga populum Israel in cantico Moysis; id est, sicut aquila vigilat nidum quando super pullos suos volitat, et expandit alas et sumit eos atque portat super humeris suis, eodem modo Iahweh est unicus dux populi sui, et non deus alienus (Dt. 32,11). Pariter in Ps. 90, ad describendam securitatem confidentis in Iahweh, protectio divina depingitur tamquam pennae et alae sub quibus populus invenit refugium (V.4).

Sion-Ierusalem est civitas sancta, consecrata Iahweh et ideo inaccessibilis profanationibus gentium ; qua de causa Iahweh protegit eam et salvat eam. Haec idea accentuatur a propheta mediantibus verbis diversisquae habent unam eademque significationem sc.: גנן, נצל, פסח et מלט: protegere, salvare seu liberare á periculis (cf. Is.37,35 46,4; 1 Sam. 7, 14 ; 4 Reg. 19,34; Ps. 118,43; Eccl. 9,15).

Causa talis protectionis Yahweh erga Sion-Ierusalem invenitur in ultimo versu, id est, quia Yahweh habet ignem et caminum ignis in Sion-Ierusalem.

In 30,33 propheta loquitur de Tophaleth qui locus sacrificiorum Chananaeorum per signum in valle Ennon (4 Reg. 23,10; Ier. 7,31s.; 19,6. 11-13). Sed quia iste erat locus immundus pro Israelitis, forsitan agitur hic potius de igne sacro qui ardere debebat super altare holocaustorum (Lev. 6,12-13); qua de causa Ierusalem videtur appellari Ariel seu ignis Dei (29,1); de quo nomine tractabimus postea.

Concludendum est quod Yahweh defendit Sion-Ierusalem sicut leo cui nullus potest eripere praedam, et protegit eam sicut avis quae extendit alas super pullos suos ad vigilandos et custodiendos eos. Sion-Ierusalem non debet timere inimicos nec fiduciam ponere in hominibus, sed in Yahweh qui est verus et unicus Deus. Agitur ergo de protectione militari contra hostes.

E. - Is. 33,20: Sion-Ierusalem habitatio secura.

Respice Sion, civitatem solemnitatis vestrae!
Oculi tui videant Ierusalem, habitationem securam,
tabernaculum quod non transmigrabit,
et non auferuntur paxilli eius umquam,
et omnes funiculi eius non rumpentur.

Propheta pronuntiat oraculum contra Assyrios; postquam describit miseriam terrae ab hostibus vastatae et iudicium Yahweh, tandem annuntiat regnum ipsius Yahweh in Sion seu in civitate solemnitatum populi, habitatione secura quae non transmigratur.

Sion-Ierusalem erat centrum politicum-religiosum populi et ideo erat locus conventus ipsius, eodem mo

do ac tabernaculum in deserto quo veniebat populus in festis et ad consulendum Iahweh (Ex. 27,21; Lev. 1,1).

Hoc confirmatur quia etiam Sion-Ierusalem vocatur habitatio secura seu tabernaculum, cuius paxilli nunquam auferentur et funiculi non rumpentur. Et quidem Sion-Ierusalem est habitatio secura seu tranquilla (שַׁאֲנָן) (Cf. Is.32,18) vel potius dives (Iob.21,23) prout habetur LXX, ubi pro civitate solemnitatum ponitur etiam civitas-salus nostra seu salutis adminiculum (τὸ σωτήριον ἡμῶν) et quidem quia ex contextu immediato videtur agi de prosperitate ob salutem a Iahweh praestitam, quia civitas non est sicut tentoria nomadum quorum paxilli et funiculi auferri et rumpi debent saepissime ob migrationes de uno loco in alium (7), sed est locus securus et tutus qui non transmigratur.

Praeterea, in v.22 Iahweh explicite describitur tamquam "iudex" populi et "legifer" et "rex". In scriptura "iudex" est idem ac salvator, (Idc.3,9)et rex (Ps. 2,10; 148,11); pariter "legifer" est dux seu ille praecipit (Dt. 33,21; Idc. 5,14; Sir. 10,5); et tandem "rex" est qui habet plenum dominium. Id est, istae tres expressiones de Iahweh praedicatae unam eamdem rem significant, nempe quod Iahweh est rex populi Israel, eo quod habet plenum dominium super eum et ab illo pendet salus populi.

Sane iam in Is. 26,1 Sion-Ierusalem dicitur urbs fortis praecise quia confidentiam habet in Iahweh qui est rupes inconcussa, id est, firmus et certissimus sustentator et tutor civitatis (Cf. Dt. 32,30. 31; Ps.17,3; 18,15; et passim). Et ideo, Sion-Ierusalem est civitas secura, tranquilla, nec noxiis nec migrationibus obnoxia; securitas quae ob contextum est ordinis militaris, sed quae arcte conectitur cum praesentia Iahweh quatenus est supremus rex et dominus populi, et pariter fons omnis prosperitatis.

A r t i c u l u s I I I

DE NOMINIBUS SION-IERUSALEM

Per summa capita agemus de attributis quibus appellatur Sion-Ierusalem, civitas "longe clarissima urbium Orientis, non Iudaeae modo", uti dicit Plinius. (8)

A. -Ps. 47,2 (H. 48,2): Sion-Ierusalem diversis nominibus appellatur.

Magnus Dominus et laudabilis valde,
in civitate Dei nostri.

Mons sanctus eius, collis praeclarus,
gaudium universae terrae;

Mons Sion, aquilo extremus,
civitas est Regis magni. (9).

Sion-Ierusalem est civitas Iahweh Dei Israel ,- (v.2) et inveniuntur plures textus qui hoc factum probant; in Ps. 86,3 gloriosa praedicantur de Sion-Ierusalem, civitate Dei, in Is. 60,14 Sion-Ierusalem est "civitas Iahweh Sancti Israel"; in Ier. 3,17 talis erit spiritualitas populi ut non indigeat Arca Foederis, symbolo praesentiae-Iahweh et obiecto praetiosissimo populi (Num.7,89) eo - quod Ierusalem ipsa erit thronus Iahweh et ornavitur illa ipsa sanctitate qua praedita erat Arca (2 Sam. 6,7; 1 Chr. 15,2);et in cantico senis Tobiae Ierusalem appellatur"civitas Dei" (13,11). Sion-Ierusalem est civitas Iahweh , Dei Israel quatenus ibi habitat Iahweh praesentia sua sicut in excelso coelo, uti iam vidimus.

Sion est collis praeclarus seu propie pulchrum cacumen, uti ex expressione יְפֵה־נוֹף deducitur, - quae ut talis solum invenitur in hoc loco et ex qua,prima vox indicat revera pulchritudinem in sensu proprio seu physico (Cf. Gen. 29,17; Cant.6,10) et secunda est formasupposita quae non invenitur in aliis textibus, (10)et vi

detur indicare cacumen. Pro psalmista igitur collis Sion apparet pulcher in sensu vere et proprie physico, eodem modo ac pulchritudo alicuius personae.

Praeterea, Sion-Ierusalem est gaudium universae terrae, id est, civitas Yahweh est obiectum gaudii, exsultationis et iubili pro universo populo, non solum quia est civitas vere pulchra, sed praesertim quia ibi est Yahweh praesens, qua de causa ex illa, protectio Yahweh extenditur ad universum populum et terram ab hoc habitatam universique favores ab illa emanant.

Tum pulchritudo Sion-Ierusalem tum factum quod fuerit obiectum gaudii pro universo populo, melius illustrantur ex Thr. 2,15; 5,15 et Ez. 16,14-15; Ps. 49,2; Dan. 11,45.

Ex his textibus constat profecto famam pulchritudinis Sion-Ierusalem diffusam fuisse inter gentes et quidem sensu physico, uti deducitur ex locutionibus יְפִי et כְּלִיל (Cf. Is. 3,24; Prov. 6,25; Ps. 44,12; Sir. 45,14), et talis pulchritudo apparet praecise ob honorem seu maiestatem, quam dederat ei Yahweh cum elegisset eam in sedem praesentiae suae in medio populi, prout ex vocabulo הָדָר deducitur (Cf. Ps.8,6; 20,6; Prov. 20,29).

Insuper, Sion-Ierusalem est extremus aquilo. Verbum צָפוֹן praeter nomen proprium (Ios. 13,27), - significat per se partem septentrionalem seu plagam borealem (Gen. 13,14; Num. 2,25; Ios. 17,10 et passim). In Ez. 38,6.15; 39,2 forma specialis יַרְכְּתֵי־צָפוֹן seu regiones longinquae et magis remotae septentrionis videtur significare etiam positionem geographicam, quia Mosoch et Thubal sunt populi septentrionales mundi antiqui. Quoad Is. 14,13 in oraculo contra Babylonem posset esse allusio ad montem mundi seu Olympum Babyloniorum (11). Attamen, si prae oculis habemus Iob. 26,7, ubi ṣāphôn dicitur a Deo extendi super vacuum et terra appendi super ni

hilum, et ex alia parte adnotamus quod in Is. 14,13s. saphon coniungitur cum nubibus, astris et coelo, concludi potest saphon significare posse etiam ipsum coelum; et quidem verum, quia in Ier. 51,53 Babylom depingitur ascendens in coelum et firmans robur suum in excelso.

Sion-Ierusalem vocatur "civitas regis magni". Titulus " rex magnus" dabatur etiam regibus Assyriae et Babylonis, prout patet ex 4 Reg. 18,19; Is. 36,4, ubi legatus Sennacherib dicit ad Ezechiam regem Iuda: "Haec dicit rex magnus, rex Assyriorum". Ex alia parte, Yahweh vocatur "rex magnus" in Ps. 46,3 et 94,3, et quidem rex magnus super omnem terram et super omnes deos.

In Is. 1,26 Yahweh promittit quod Sion-Ierusalem vocabitur "civitas iustitiae, urbs fidelis". De hac Ierusalem inveniuntur alii textus apud prophetas. In Ier. 31,23, quando loquitur propheta de regressu populi et captivitate babylonica et restauratione Ierusalem, ipse Yahweh annuntiat gloriam civitatis, dicens: "adhuc dicent verbum istud in terra Iuda et in urbibus eius, cum evertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Yahweh, habitaculum iustitiae, mons sanctus!" Agitur hic de quadam benedictione qua fausta adprecantur Ierusalem, uti in Ps. 121,6-9. Praeterea, in Zach. 8,3 Ierusalem vocatur "civitas fidelis", mons sanctus". Propheta vaticinatur mutationem productam in Ierusalem quando Yahweh habitavit iterum in ea. Vocatur civitas iustitiae, nam in ea servatur fidelitas praeceptis Dei, debita, uti patet ex vv. 16-17, ubi Yahweh commendat veritatem cum proximo et charitatem. In his locis probabiliter fit etiam allusio ad illam hypothesim et quidem verosimilem, quod Ierusalem tempore chananeo fuerit centrum cultus dei "Sedeq" seu, "Iustitiae", prout ex nominibus aliquorum regum Ierusalem apparet, sc. Melchisdec "(meus) rex est iustitia" et Adonisedec "(meus) dominus est iustitia" (Gen. 14,18; Ios. 10,1ss.) (12).

In Zach.8,3 promittit Yahweh quod Sion-Ierusalem "civitas veritatis, mons sanctificatus". Prout patet ex verbo אֱמֶת, hoc potest significare quod Ierusalem est civitas veritatis, quatenus in ea servatur constans fidelitas erga normam divinam vel fidelitas personarum inter se (Cf. 1 Sam. 12,21; 3 Reg. 2,4; 3,6; Neh. 7,2; Is. 59,15; Zach. 8,19). Hoc confirmatur ex contextu proximo vv. 16-17. Attamen, idem verbum significare potest etiam "verum, genuinum" (Ios. 2,12; Ier. 2,21), et tunc Ierusalem potest dici "civitas vera et genuina" Yahweh; id est, talis qualis esse debet secundum naturam et indolem propriam, quatenus eam elegit Deus seu suo cultui dicavit, uti patet ex eo quod Ierusalem est mons sanctificatus seu consecratus Yahweh.

In Is. 29,1-2 Sion-Ierusalem vocatur "Ariel". Hoc nomen iuxta Ez. 43,12 adhibetur tamquam nomen symbolicum altaris sacrificiorum. Iure potest Ierusalem vocari "caminus seu altare Dei", ab ipso instanti quo tabernaculum fuit positum in Ierusalem (2 Sam. 6,17), nam iuxta legem, holocausta cremari debebant igne super altare tota nocte usque ad mane (Lev. 6,2), nec ignis poterat deficere in altare (Lev. 6,6). Insuper, ignis in V.T. indicat etiam praesentiam Dei, ut in rubo ardenti (Ez. 3,2) et in columna nubis quae praecedebat populum per desertum (Ez. 13,21). Tandem, in Is. 31,9 dicitur quod Yahweh habet suum ignem in Sion et suum caminum in Ierusalem. Hoc probabiliter refertur ad altare holocaustorum. Unde Ierusalem per metonymiam potest vocari civitas ignis divini seu potius civitas altare Dei, quo indicatur divina praesentia in Ierusalem.

Tandem, in Is. 62,4, Ierusalem talem mutationem status politici ac religiosi patietur, ut etiam nomine alio appellanda sit uti occurrit frecuenter in historia sacra (Gen. 17,5; 32,28; 41,45; 4 Reg. 24,17; Is.65,15; Dan. 1,7). Dicitur enim quod Ierusalem non vocabitur amplius "derelicta et desolata"(quae nomina inveniuntur

in Scriptura tamquam propria mulierum 3 Reg. 22,42;4 Reg. 21,1; 1 Chr. 4,18s.; 2 Chr. 20,31), ad denotandum amorem intimum Yahweh erga Ierusalem, nam vocabitur "gaudium seu delectatio Yahweh" et terra etiam vocabitur "marita seu sponsa". Id est, post restaurationem, Ierusalem et populus erunt obiectum complacentiae seu amoria divini,eodem modo ac sponsus gaudet super sponsam (V.5; 65,19; Soph.3, 17). De tali relatione coniungali inter Yahweh et populum passim tractant sacri auctores et in specie Is. 49, 14ss.; 54,1ss.;Ier. 2,21. Ierusalem cum sit caput nationis et repraesentet totum populum, est obiectum omnis complacientiae et totius amoris eius.

C O N C L U S I O

Ex electione Sion-Ierusalem in sedem terrestrem Yahweh, et praesertim ex vera praesentia Yahweh in ea deducitur locum fuisse peculiaribus proprietatibus praeditum et singularibus nominibus apellatum. Imprimis ut proprietas Sion-Ierusalem maxime celebrata est sanctitas eius et quidem colore prorsus religioso. Ideo, cum in Sion sedeat gloria Yahweh seu ipsa sanctitas per excellentiam ipso facto constituta est tamquam locus segregatus ab usu non sacro, id est, sanstificatus et quidem ratione cultus; quam ob rem, quadam inaccessibilitate, vi repellenti praedictus est, ita ut nullus peccato etsi sacerdos et minister cultus, possit accedere ad illum locum, nisi prius purificatus fuerit. Aliis verbis, talis erat sanctitas sedis divinae, ut ad ministrandum ibi non solum necessaria esset sanctitas cultualis, verum ethica seu puritas morum. Consequenter omnis qui serviebat Yahweh in Sion plenam securitatem contra inimicos habebat inaccessibilis; qui vero derelinquebat Sion et praeferebat loca deorum paganorum, secum portabat propriam ruinam. Ceterum nullus poterat mittere manum contra Sion-Ierusalem, quia Yahweh serius ocius faciebat vindictam -

contra eum; et si ipse Yahweh punire debuit Ierusalem ob peccata incolarum eius et totius populi, tamen civitas quasi ius putabatur ne irae divinae perpetuo subiaceret, eo quod purificata poenitentia seu punitione, secundum - iustitiam, misericordiam et propritiationem divinam, restituit debebat ad pristinam sanctitatem; praesertim quia super eam invocatum erat nomen Yahweh, id est, modo speciali proprietas erat Dei (Dan. 9,16-19).

Non minus celebris fuit fides populi erga firmitatem Sion-Ierusalem, tamquam consequentiam sanctitatis ipsius. Securitas nationis aliquando videtur posita fuisse in Sion-Ierusalem una cum templo, magis quam in ipsa potentia Dei; ita ut nullus posset verba aliqua dicere vel praedicere contra civitatem sanctam, quia erat gravissima offensio contra nationem, id est, Sion-Ierusalem erat pro populo Israel tamquem "palladium" cui tribuebatur conservatio et securitas nationis.

Sion-Ierusalem depingitur protecta et defensa a Yahweh ac si flumen vel quaedam irrigatio paradisiaca - transiret per eam, eodem modo ac praecipuae et famosae - civitates Orientis munitas erant ope fluviorum amplorum. Ierusalem considerabatur invicta et quidem sensu militari, quia Yahweh erat rex et dux eius; qua de causa non succumbebat infortunio vel adversariis, sed firma erat - sicut terra et orbis. Ideo etiam dicitur Ierusalem "sanctissimum tabernaculum Altissimi", id est, locus securus et tutus; non sicut tentoria nomadum, quorum paxilli saepe saepius auferuntur et funiculi rumpuntur ob migrationem de uno in alium locum; Yahweh eodem modo ac protegebat populum per desertum, ita tutelam habebat Ierusalem in forma nubis et fumi per diem, et forma splendoris ignis flammantis in nocte et tamquam tegmen contra turbinem et pluviam. Praeterea, Yahweh protegit Sion-Ierusalem et liberat eam a cunstis periculis tamquam avis quae extendit alas super pullos suos ad vigilandos et custodiendos eos, et ut leo cui nullus potest eripere praedam.

Paucis verbis: Sion Ierusalem est civitas firma et invicta, quia est sedes ipsius Yahweh seu rupis inconcussae.

Sion-Ierusalem, ratione suae electionis in sedem Yahweh et ratione omnium proprietatum quibus ornavit eam Deus, peculiaribus nominibus appellatur a psalmistis et prophetis, ita ut eius fama pervenerit usque ad omnes nationes Orientis, et ideo considerata fuerit non solum tamquam preclarissima civitas Palaestinae, sed etiam totius Orientis. Inter praecipua nomina Sion-Ierusalem, eminent illa quibus vocatur a psalmistis, nempe: Sion-Ierusalem est civitas Yahweh et quidem civitas regis magni; vocatur etiam "extremus aquilo" seu ipsum coelum, et Sion consideratur ut collis praeclarus seu pulchrum cacumen in sensu proprio physico, et fit obiectum exultationis et laetitiae pro univero populo electo. Apud prophetas seu proprie apud Isaiam, Sion est civitas iusta et fidelis, et eodem modo ac ob infidelitatem, est tamquam uxor derelicta et desolata seu repudiata; ob penitentiam, fit gaudium seu complacentia Yahweh, qui non potest pati separationem eius. Denique, Sion-Ierusalem est "Ariel" seu caminus vel altare Yahweh, quia in ea non poterat deficere ignis sacer qui erat signum praesentiaee divinae.

B I B L I O G R A P H I A

(1) - QUELL G., In TWZNT IV Stuttgart 1942, 148ss.; SCHRENK G., in TWZNT IV, 187ss.

(2) - Occasio huius poematis potuit esse translatio Arcae in montem Sion.

(3) - "Palladium", iuxta antiquam mithologiam graecam, erat statua deae Minervae, qui tamquam amuleto tribuebatur conservatio urbis Troiae. (Cf. MIGNE, Dict. univ. de myth. anc. et mod., 979).

(4) - Cf. GELIN A., Les Idées maitresses de l'Ancient Testament, Paris 1952, 40.

(5) - Occasio psalmi potest esse vel liberatio regni Iuda sub Iosaphat (2 Chr. 20), vel liberatio Ierusalem ab invasione Sennacherib a. 701 sub Ezechia(4 Reg. 18-19; Is. 33; 36-37).

(6) - Cf. CHAINE J., *Le Livre de la Genèse*, Paris 1951, 29-30.

(7) - Cf. Ex. 35,18; Num.1,51; Idc. 4,21; Is. 10,20;54, 2.

(8) - Cf. PLINIUS C.S., *Naturalis historiae libri XXXVII*, V,14.

(9) - Hymnus cantandus in ascensu ad Ierusalem. Forsitan alludit ad eventus a. 701, vel ad comminationem regum Israel et Syriae contra Achaz (4 Reg. 16,5; Is. 7,1-9).

(10) - Cf. KOHLER-BAUMGARTNER, *Lexicon in V.T. libros*, 604.

(11) - BERN A., *Der Versammlungsberg in Ausserte Nordenm*, in O 14 (1933) 42-48;

(12) - Cf. RICCIOTTI G., *Storia d'Israele*, I n. 130.

CAPUT TERTIUM

DE CULTU IN SION PERAGENDO ET DE RELATIONE POPULI AD SION

Cum Sion-Ierusalem electa sit a Yahweh ad ponendum nomen suum ad accipiendum ibi cultum, perutile est de hoc cultu in Sion peragendo tractare et etiam de relationibus populi seu fidelium cum Sion.

Articulus I

De cultu in Sion peragendo

Iuxta Dt. 12,5, locus quem Yahweh eligere debebat e cunctis tribubus ad ponendum nomen suum ibi et ad habitandum, non est alius nisi locus sui cultus, prout dicitur in v.6. Cultus enim Yahweh consistit in oblatione holocaustorum et sacrificiorum. Per consummationem totalem victimarum ope ignis, sollemniter agnoscebatur dominium supremum Yahweh in omnes creaturas (Lev. 1,1ss.). Praeterea, ibi reddi debebant vota et dona voluntaria in necessitatibus promissa, mediante aliquo sacrificio speciali, praesertim sacrificio pacifico seu communionis (Lev. 7, 16; 22, 18.21). Haec erat lex deuteronomica pro cultu antequam locus eligeretur a Yahweh. Huiusmodi autem loco electo et quidem Sion-Ierusalem, confirmationem talis legis nunc consideremus in aliquibus textibus.

A. -Ps. 9,12. 14-15: Yahweh laudatur in Sion.

v. 12 Psallite Domino qui habitat in Sion,
annuntiate in populis opera eius.

v. 14 Miserere mei, Domine; vide afflictio
nem quam patior ab inimicis meis,
extollens me de portis mortis,

v. 15 Ut annuntiem omnes laudes tuas in
portis filiae Sion,
et exultem de auxilio tuo.

Est canticum gratiarum actionis pro liberatione a gentibus et ab Israelitis impiis. Psalmista celebrat mirabilia patrata a Yahweh contra hostes oppressores (1-11)et deinde omnes invitat ut psallant ei inSIon et annuntient in populis opera eius; ipse sacer auctor promittit se annuntiaturum esse laudes Yahweh in Sion si eripuerit eun a morte.

Populus psallere debet in Sion, id est, personam eius honorare cum cantibus (v. 3; Ps. 29,13; 46,7; Is. 12,5), et annuntiare seu praedicare cum laude res gestas Yahweh (Ps. 21,32, 29,10; Is. 66,19): qua de causa gloria et fama Yahweh fit celebris inter gentes (Ps. 34,28; 50,17; Is. 42,12). Pariter in Ier. 51,10 propheta praedicit exterminium Babylonis et hanc ob rem excitat populum ut veniat in Sion et enarret opus Yahweh,Dei Israel, id est, patefaciat in Sion iudicium contra Babylonem, ob quod gloria et fama Yahweh splendescent. Igitur, in Sion omnis populus honorare debet Yahweh cum canticis in gratiarum actionem, et mirabilia opera eius cum laude enarrare populis.

B. -Ps. 64,2-3: Hymni et vota redduntur Yahweh in Sion.

v. 2 Te decet hymnus
Deus, in Sion

et tibi reddatur votum

v. 3 qui exaudis preces
ad te omnis caro venit.

Pariter hoc est canticum gratiarum actionis - ob foecunditatem et abundantiam terrae, acceptam post - periodum ariditatis saepissime in punitionem peccatorum- permissae (3 Reg. 8,35) quam ob rem populus vota faciebat ad impetrandam misericordiam a Domino.

In necessitatibus omnis creatura reccurrit ad Deum, ethis concessis gratias Deo agit. Quapropter populus Israel in Sion seu loco sedis Yahweh gratias agit - pro beneficiis concessis (vv. 2-5), pro signis stupendis quae Deus facit (vv. 6-9), et in concreto pro pluvia et foecunditate terrae (vv. 10-14). Illic porro ob beneficia recepta laudat Yahweh cum hymnis seu carminibus (Ps. 32,1; 39,4; Neh. 9; 5; Is. 42,10) et spontaneam promissionem aliquid agendi vel donandi Yahweh, id est, vota (Lev. 22,18; Num. 6,5) ibi adimplet. Ad Sion venit omnis caro, id est, omnis populus (Is. 66,23)quia firmiter credit ibi Yahweh exaudire preces seu orationes fidelium et eorum delicta dimittere (v. 4).

Etiam in Ps. 114-115 actio gratiarum peragitur in Sion-Ierusalem; ibi enim fidelis offert Yahweh - sacrificium laudis (v. 17) seu gratiarum actionis (Lev. 7,12b.; 22,29) et ita reddit votum quod fecerat Deo(vv. 14-18), atque invocat nomen Yahweh (vv. 13. 17) seu publicum testimonium dat coram populo fideli in Ierusalem congregati ob favores divinos (vv. 18-19). Notandum est sacrificium laudis et redditionem votorum valde placere Yahweh iuxta Ps. 49,14. 23.

Ergo, in his locis depingitur status intimus- Israelitarum in Sion venientium: ibi peraguntur actiones sacrae, ut laus seu hymnus Yahweh, adimpletio votorum et remissio delictorum; quam ob rem fideles magnum- gaudium experiuntur ob contactum cum Yahweh.

C. -Ez. 20,40: In monte sancto populus servire debet Yahweh.

> Quia in monte sancto meo, in monte excelso, ait Dominus, Yahweh, ibi serviet mihi omnis domus Israel, omnes qui sunt in terra illa. Ibi propitius ero eis et ibi quaeram oblationes vestras et initium decimarum vestrarum in omnibus oblationibus vestris.

Anno septimo deportationis Iechoniae (a. 591 a. Ch.), seniores populi in Babylone captivi consuluerunt Dominum per prophetam Ezechielem circa sortem nationis, et propheta respondit enarrando facinora populi in Aegypto, in deserto et in terra Chanaan, ob quae Yahweh poena populum affecit. Tamen Deus promittit restaurationem nationis, cum cultu novo in monte sancto Yahweh et excelso Israel.

Solummodo in monte sancto seu Sion populus servire debet Deo suo. Iste est mons "excelsus" et "sublimis" Israel, de quo loquitur frequenter Ezechiel (17,23; 40,2). Ibi populus cultum religiosum Yahweh praestare debet seu honorare et colere eum, uti ex verbo עבד deducitur (Ex. 23,24; Dt. 6,13; Ps. 2,11). Haec dispositio divina confirmatur ex Is. 27,13, ubi tribus dispersae inter gentes congregantur ut efforment iterum unitatem:cum autem unitas nationis non possit concipi sine unione religiosa, ideo tribus venient ad serviendum Yahweh solummodo in monte sancto, Sion-Ierusalem. Porro deperdita unitate sanctuarii, facillime destruitur etiam unitas politica nationis, ut bene sciebat Ieroboam quando fecit duos vitulos aureos et posuit eos in Bethel et in Dan, ut populus non descenderet ad sacrificandum in Ierusalem (3 Reg. 12, 26 ss.).

D. -<u>Ioel 2,15-16: In monte sancto incipit omne opus sacrum.</u>

v. 15 Sonate buccinam in Sion
initiate ieiunium, vocate coetum,

v. 16 congregate populum, convocate communitatem coadunate senes, congregate parvulus et sugentes ubera;

egrediatur sponsus de cubili suo,
et sponsa de thalamo suo.

In toto capite agitur de imminenti die Yahweh in qua milites terram et omnia destruent, ac si essent multitudo locustarum, de quibus loquitur propheta in capite praecedenti; tantum poenitentia mitigare potest iram divinam, et ideo omnes vocantur ad illam peragendam in monte sancto Sion.

In Sion omne opus sacrum incipit: imprimis ieiunium, cuius finis est satisfactionem Deo reddere ob peccata commissa et implorare favorem ipsius Dei(Is.58, 3; Dan. 9,3; Ion. 3,5; Est. 4,3; 9,31); propter hoc dicitur sanctificandum (1,14). Coetus sacer seu congregatio, quae fiebat ad sacrificium sollemne offerendum(4 Reg. 10,20), pariter habetur in Sion, et dicitur sanctificanda in ordine ad plagam imminentem evertendam. Omnis populus a sugentibus ubera usque ad senes poenitentiam facere debet, non exceptis iuvenibus sponsis qui, iuxta legem, vacare poterant absque culpa domi suae uno anno nec pergere tenebantur ad bellum nec eis quidpiam necessitatis publicae iniungi poterat (Dt. 24,5). Ideo omne opus sacrum initium habet in Sion.

Articulus II

De relatione fidelium ad Sion

Ipso facto quod Sion est locus commorationis et requiei Yahweh atque cultus ipsius, intima relatio adest inter Sion et populum electum, uti patet ex textibus statim considerandis.

A. -Ps. 50,20-21: Imploratur reaedificatio Ierusalem.

v. 20 Benigne fac, Domine, pro bonitate tua, erga Sion, ut reaedifices muros Ierusalem.

v. 21 Tunc acceptabis sacrificia legitima, oblationes et holocausta,
tunc offerent super altare tuum vitulos.

Hic est famosus psalmus poenitentialis ab ipso David compositus post peccatum adulterii (2. Sam.12, 14-20). Certo certius duo versus prae oculis habendi, non sunt originis davidicae, sed additio liturgica postexilica.

Benignitas implorata non est nisi favor seu benevolentia qua Yahweh prosequi debet Ierusalem, prout deducitur ex verbo ברצונך (Cf. Ps. 5,13; 29,6-8; Is. 60,10), ut civitas reaedificetur, sicque ipse Yahweh accipere possit sacrificia et holocausta legitima seu plena (עולה et כליל), in quibus totum offeratur Yahweh ope ignis sine ulla reservatione usui hominis (Ex. 18,12; Lev. 16,15s; Dt. 33,10; 1 Sam. 7,9). Quapropter populus non potest pati destructionem Sion-Ierusalem, nam si illa deleatur, et quidem ob peccata ipsius populi, gloria Yahweh seu signum praesentiae eius in medio populi egredietur e templo et e civitate (Ez.10,18;

11,22) et hoc modo populus non solum materialiter, sed spiritualiter destructus considerabitur. Quam ob rem,uti diximus in articulo secundo capitis secundi,nec propheta quidem predicere poterat destructionem Ierusalem, quia reus mortis iudicabatur (Cf. Ier. 26,11).

B. - Ps. 101, 14: Supplicatio pro civitate Ierusalem.

Tu exurge et propitius esto Sion,
quia tempus est ut miserearis eius,
quia venit hora.

In prima parte psalmi (2-12) adest deprecatio aegrotantis; a v.13 usque ad v.23 fit supplicatio pro Ierusalem, et quidem pro restauratione eius; ex quo deducitur quod psalmus est post-exsilicus et forsitan compositus post regressum e captivitate.

Psalmista excitat Yahweh ut exsurgat tamquam defensor et tutor civitatis sanctae (Ps. 67,2; 75,10; Is. 28,21; 33,10) et tenero amore commotus misereatur Sion (תרחם, cf. Ps. 102,13; Is. 49,15) quia iam venit tempus ut commiseratione affectus sit erga eam, non solum quia tempus durationis statutum est per os prophetarum (Ier. 25,11s.; 29,10; Dan. 9,2), verum etiam quia adsunt alia motiva restaurationis, sc. quia Israelitae magni faciunt lapides templi et ruinas civitatis commiserantur (v.15); deinde, quia reedificata civitate, omnes gentes et reges terrae reverebuntur Yahweh et servient ei, qua de causa Sion-Ierusalem erit centrum cultus universalis (vv.16-21), sicque fama celebris Yahweh praedicabitur cum laude in Sion, (v.22). Igitur, animus exsulum pendens erat a reaedificatione Sion et maxima supplicatio pro eadem fiebat.

C. - Ps. 136,5-7: Populus non potest oblivisci Sion.

v.5 Si oblitus ero tui, Ierusalem,
oblivioni detur dextera mea!

v.6 Adhaereat lingua mea faucibus meis,
si non meminero tui,
si non posuero Ierusalem
super omnem laetitiam meam.

v.7 Recordare, Domine, contra filios Edom
diem Ierusalem,
Qui dixerunt: "Evertite, evertite
ipsa fundamenta in ea!"

In hoc psalmo certo certius post captivitatem exarato, apparet amor ardentissimus Israelitarum erga Sion; ad flumina Babylonis sedent, et flent atque cytharas suspendunt cum recordantur Sion, quia cantica Yahweh cantare non possunt in terra aliena (VV.1-4), ob idololatriam impura (Os. 9,3-5).

Amor exsulum erga Sion-Ierusalem talis est ut melius sit pro eis incidere in infirmitatem materialem et etiam mortem, potius quam Ierusalem oblivioni dari aut non considerare eam ut summam laetitiam. Absentia a Ierusalem magna punitio erat pro captivis, quia putabant Yahweh habitare solummodo in Ierusalem; in hoc apparet quidam materialismus religiosus, cum Deus ubicumque adorari queat.

Psalmus absolvitur imprecatione contra Edom et Babylonem. Contra Edomitas quia participaverunt in destructione Ierusalem (Abd. 10-15) et excitaverunt inimicos ad penitus delendam civitatem (De hac vindicta contra Edom agunt etiam Is. 34,5s.; Ier. 49,7-22; Ez.25, 12-14; 35, 5,15). Contra Babylonem consequenter, quia

fuit vastatrix, petitur applicatio legis talionis, id est, ut rependantur ei mala quae illa intulit populo,et parvuli eorum allidantur ad petram (Cf. 4 Reg. 8,12;Is. 13,16; Os. 14,1; Nah. 3,10). Clare patet ergo sensus fidelium erga Sion-Ierusalem.

D. - Dan. 9,16: Oratio pro monte sancto.

> Domine, secundum omnem iustitiam tuam, avertatur
> obsecro, ira tua et furor tuus a Ierusalem civitate tua, a monte sancto tuo!
> Quia propter peccata nostra et iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus qui sunt in circuitu nostro.

Propheta confitetur peccata populi, et ieiunio sacco et cilicio impetrat veniam et misericordiam a Deo, id est, ut avertat iram et furorem a Ierusalem et monte sancto. Furor enim et ira,quando de Deo dicuntur, indicant punitionem divinae (Ps. 6,2; 20.10; 2 Chr. 19, 10; Is. 13,9); et in nostro casu, punitionem iam factam seu captivitatem, ob quam Ierusalem et templum data fuerunt in opprobrium omnibus vicinis (Cf. Thr. 1,8.17;19, 21; 2,6.15s.) et desolata remanserunt (Is. 64,10; Thr.1, 1.4.13; 5,18).

Hoc in loco petitur raedificatio Sion-Ierusalem praecise quia nomen Yahweh seu ipse Yahweh invocatur super aliquam rem, hoc indicat rem illam consecrari Yahweh speciali modo, et ideo fieri quasi eius proprietatem (Dt. 28,10; 2 Sam. 6,2; Ier. 15,16; 25,29).

Hac de causa Sion Ierusalem, super quam invocatum est nomen Yahweh, quasi ius habet ne irae eius perpetuo subiaceat. Et hoc confirmatur ex aliquibus attributis divinis in hoc capite enumeratis, nempe: iusti

tia, misericordia et propitiatione Yahweh, quorum gra-- tia Sion-Ierusalem non potest esse indefinite punita.

E. - <u>Sir. 36, 12-13: Deprecatio pro Sion-Ierusalem.</u>

v.12 Miserere civitatis sanctuarii tui,
Ierusalem, civitate requiei tuae.

v.13 Reple Sion splendore tuo
et gloria tua populum tuum.

Auctor sacer rogat Deus pro instauratione populi dispersi (vv.13-15) et ut repleat eum beneficiis - suis (vv. 16-19), depressis inimicis (vv.1-5) et poenis solutis pro peccatis eorum (vv.6,12).

Yahweh misereri debet affectu et animo (Ex.33, 19)Ierusalem, civitati electae ab ipso in sanctuarium - suum seu centrum cultus sui. Yahweh restaurare debet civitatem et templum (Is. 60,10ss.; Ez. 40-43) necnon cultum suum officialem (Ez. 44-46). Tunc, sicut tempore - primae dedicationis templi gloria Yahweh implevit illud (3 Reg. 8,11), ita tempore post-exilico gloria Yahweh iterum esse debet signum praesentiae suae, uti iam olim dixerant prophetae (Is. 4,5; Ez. 8,4; 10,4). Hoc modo Sion-Ierusalem repletur splendore et populus Israel gloria Yahweh.

A r t i c u l u s I I I

<u>Sion fons omnium bonorum</u>

Bona omnia materialia et spiritualia, omniaque auxilia a Deo procedunt tamquam e fonte, ob dominium supremum ipsius in universas creaturas. Revera Deus suos

favores concedit independenter a quocumque loco determinato, quia est omnipraesens. Tamen, iuxta mentem antiquorum populorum, putabatur preces facilius et citius exaudire in templis et sanctuariis, eo quo praesentia divinitatis cum simulacris eius consociabatur. Eodem modo cogitabat populus electus; et ideo, quia unum tantum sanctuarium erat universo populo, ubi praesens erat Yahweh, et positum erat in Sion-Ierusalem, propterea civitas sancta tamquam fons omnium bonorum considerabatur, uti confirmatur sequentibus locis.

A. - Ps. 3,5: Yahweh exaudit preces in Sion.

Voce mea ad Yahweh clamavi
et exaudivit me de monte sancto suo (1).

Praesens psalmus est canticum fiduciae in Yahweh durante tribulatione; quae fiducia exauditur a Yahweh praecise in monte sancto eius, ubi David tabernaculum tetenderat (2 Sam. 6,17).

Dux ab inimicis circundatus clamat ad Yahweh - omnibus suis viribus seu voce forti (Ps. 76,2; 141,2), - quia Yahweh est "clipeus" seu protectio iusti (Ps. 17,3; 27,7) et adiuvat in tribulationibus (v.4; Ps. 109,7). Fiducia ducis est in Yahweh quia credit quod ipse habitans in monte sancto Sion exaudiet eum, ob ipsam sanctitatem Sion.

B. - Ps. 19,2-3 (H. 20.2-3): Auxilium venit ex Sion.

v.2 Exaudiat te Dominus die tribulationis
protegat te nomen Dei Iacob.

v.3 Mittat tibi auxilium de sancto,
et de Sion te sustentet (2).

Psalmus est oratio pro rege in bellum proficiente. Optatur ut nomen Dei protegat eum, id est, ut Deus sua essentia et potentia seu ipsa sua persona (Ps. 102,1; 2 Sam. 7,13) custodiat eum, atque auxilietur et sustentet eum in Sion.

Sion-Ierusalem est sancta, (v.7); quapropter auxilium et sustentatio ibi conceduntur, et quidem quia ibi rex sacrificia et holocausta offert Yahweh. Favor ordinis militaris est, in relatione ad hostes debellandos.

C. - <u>Ps. 127,5-6 (H. 128, 5-6): Benedictio divina procedit ex Sion-Ierusalem.</u>

v.5 Benedicat tibi Dominus ex Sion,
ut videas prosperitatem Ierusalem
omnibus diebus vitae tuae;

v.6 Ut videas filios filiorum tuorum:
pax super Israel! (3).

Promittitur felicitas domestica et nationalis iis omnibus qui timent Yahweh seu servant praecepta eius; et revera iuxta psalmistam haec prosperitas procedit ex Sion-Ierusalem.

Benedictio Yahweh in Sion-Ierusalem pronuntiata efficit prosperitatem ac pacem ipsius civitatis et populi, et etiam prosperitatem personalem iustorum.

Prosperitas et pax nationis una cum felicitate familiari, quae consistebat in bona uxore, pluribus filiis et longaevitate, erat principale desiderium cuiusvis veri Israelitae, uti constat ex Tob. 13,20; 14,3ss. Certo certius in Scriptura foecunditas et pluralitas filiorum considerantur semper ut effectus benedictiones divinae (Gen. 1,28; 9,1; 28,3 et passim; Ps. 106,38).

D. - Ps. 132, 3(H. 133,3): Largitur Yahweh benedictionem et vitam in Sion.

Sicut ros Hermon, qui descendit
super montem Sion:
nam illic largitur Dominus benedictionem,
vitam usque in saeculum.

Dilectio fraterna populi theocratici eiusque unio describitur duabus imaginibus, sc. imagine unguenti quod descendit a capite in barbam et in oram vestimenti Aaron, et roris Hermon qui descendit in montem Sion seu Ierusalem.

Aaron enim summus sacerdos et pariter filii eius ungi debebant oleo sacro (Ex. 30,30) et unguentum descendebat in barbam quae ex sua parte descendebat usque ad oram vestimenti eius. Ros autem Hermon, qui descendit in montem Sion, videtur indicare abundantiam benedictionis Yahweh pro iis qui unione fraterna vivunt.

Haec benedictio seu felicitas et abundantia bonorum, iuxta Lev. 25,21 et Dt. 28,8, datur praecise in Sion-Ierusalem; et efficit ut populus qua talis vitam seu salutem habeat quam Yahweh promittit timentibus se (Prov. 8,35; Mal. 2,5). Unio populi operatur vitam seu stabilitatem ipsius; id est concordia quam inter se habitantes Sion favere debent, secum fert praemium longae vitae, in quo apparet tonus nationalisticus,

E. - Ez. 47.1.8.9-12: Fons salutifer e templo egrediens.

v.1 Et covertit me ad portam domus, et
ecce aquae
egrediebantur subter limen domus ad
Orientem;

facies enim domus respiciebat ad orien-
tem, aquae autem descendebant in la-
tus domus dextrum ad meridiem altaris.

v.8 Et ait ad me: aquae istae egredientes
versus regionem orientalem, descen-
dent ad Araba et intrabunt in mare, in
aquas salsas, et sanabuntur aquae.

v.9 Et erit quod omne ens vivens quod ser-
pit quocumque venerit torrens, vivet;
et pisces erunt multi satis; quia cum
venerint illuc aquae istae, sanabun-
tur et vivent omnia ad quae venerit
torrens...

v.11 Litora autem eius et palustres non sa-
nabuntur, quia in salinas dabuntur.

v.12 Et super torrentem et in ripis eius o-
rietur ex utraque parte omne lignum
pomiferum; non defluet folium ex eo
nec deficiet fructus eius; per singu-
los menses afferet fructus novos; quia
aquae eius e sanctuario egrediuntur;
et fructus eius erunt in cibum et fo-
lia eius in medicinam'.

Propheta post visionem de restauratione templi et cultus (40-46), vidit hunc mirabilem fontem, cuius aquae per desertum ad latera fluminis Iordanis descendunt usque ad mare Mortuum. Ob contactum cum aquis e templo egredientibus, aquae salsae maris Mortui fiunt dulces, dum paludes aquam salsam conservant ut serviant Israelitis. Hoc modo populus habebit magnam quantitatem piscium et omnes species fructuum. Haec mira transformatio naturae non est nisi symbolum benedictionum non solum spiritualium sed etiam materialium, quibus fruetur populus ob restaurationem templi et praesertim ob novum cultum seu nova religionem puram; nam sicut infidelitas erga Yahweh est causa ruinae et miseriae, uti videbimus statim(Is.65,

11 s.), ita fidelitas et verus cultus ei praestita,sunt fons felicitatis. De istis aquis vitae templo egredientibus agitur etiam in Zach. 14,8 et Ioele 4,18-21, ubi describitur prosperitas et felicitas messianica in Sion-Ierusalem. Ergo Sion-Ierusalem ob praesentiam Dei est fons felicitatis

CONCLUSIO

Sion est igitur locus in quo servire debet omnis populus Israel Deo suo Yahweh, id est, in quo cultum ei praestare debet, non solum ab ipso instanti translationis Arcae in Sion et praesertim dedicationis templi, qua occasione gloria seu praesentia Yahweh replevit domum, verum etiam post restaurationem templi et civitatis ob peccata populi destructae.

Re quidem vera, offeruntur sacrificia et holocausta Yahweh et mirabilia eius erga populum enarrantur cum hymnis et canticis, ita ut fama et gloria Yahweh diffundatur inter populos. Praeterea ibi populus incipit omne opus sacrum, tum ad gratias agendas Deo et ad reddenda ei vota pro beneficiis acceptis, tum ad implorandam misericordiam ob peccata commissa et ad evertendam punitionem Dei cum ieiunis et precibus totius communitatis ibi congregatae.

Ex alia parte, nihil mirum quod Sion, cum sit locus praesentiae Yahweh et cultus ipsius, ab Israelitis consideretur ut fons summae laetitiae et summae gloriae. Quam ob causam populus respicit ad Sion magna cum veneratione ac maxima tristitia et summa poena pro Israelitis est separatio a Sion et praecipue destructio templi et sanctae civitatis. Consequenter omnis populus anxius est circa reaedificationem civitatis et fundit preces deprecationesque ut Deus, uti mater erga filium commotus, benevolentiam et misericordiam habeat Sion-Ierusalem quae,

tamquam proprietas Yahweh -eo quod super eam invocatum est nomen eius- non potest subire destructionem perpetuam. Insuper, contra destructores et omnes inimicos civitatis populus imprecatur vindictam seu applicationem legis talionis.

Iuxta mentem antiquorum, auxilia divina tam ordinis spiritualis quam materialis expectabantur praesertim in templis seu sanctuariis extructis ad offerenda sacrificia, nam praesentiam divinam cum simulacris deorum consociabant. Apud populum Israel, etiamsi omnipraesentia divina celebraretur, et beneficia consequenter quocumque loco expectarentur, tamen generatim Sion-Ierusalem considerabatur a populo ut fons omnium bonorum, eo quod ibi erat unicum sanctuarium in quo Yahweh erat realiter praesens. Hac de causa, populus semper fiduciam habebat Yahweh in Sion exauditurum esse praeces eius, et pariter auxilium ac sustentatio regis quaerebatur in Sion, et prosperitas tum domestica tum nationalis, ut pax ipsius civitatis qua mediante natio vitam seu salutem et stabilitatem conservabat.

B I B L I O G R A P H I A

(1) - Hic psalmus forsitan compositus est occasione rebellionis Absalonis, quae fuit magni ponderis pro David (2 Sam. 15,18).
(2) - Generatim ante bellum consulebatur Yahweh, et pro militibus auxilium implorabatur (1 Sam. 13,14;28, 6).
(3) - Probabiliter psalmus compositus est post exilium, et cantabatur a peregrinis durante itinere ad templum.

ALIQUID DE POENA CAPITIS

FR. LUDOVICUS G. OSORIO HENAO O.F.M.

DEFINITIO

Poena capitis est alicui ab auctoritate legitima, intercedente legali iudicio, causa eius criminum, mors pro punitione infligi. Hac definitione inspecta, non est stricte poena mortis punitio usque ad recentiora tempora in Confoederatione Americana aliisque statibus solita, per quam sceleratus inauditus ab irato populo ipso interficiebatur (Lynch). Mortem ergo nefario manu auctoritatis dari oportet, hoc est manu legitimi carnificis, nisi leges aperte statuant ei fugienti mors a privato infligi posse.

CONSPECTUS HISTORICUS ET STATUS QUAESTIONIS

Historia nos docet poenam capitis in ipsis ori

ginibus societatum iam exsistere et ea crudeliter gentes uti. Ex libro Exodi et ex Levitico noscimus populum Iudaeum eam statutam habuisse: "Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Haec loqueris filiis Israel: homo de filiis Israel et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terrae lapidabit eum" (Lev. 20,1-2).

> "Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur" (Ex. 21,12).
>
> "Qui immolat diis, occidetur, praeterquam Domino soli" (Ex. 22,20).
>
> "Qui coierit cum iumento, morte moriatur"(Ex.-22,19).
>
> "...Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, morte moriantur et moechus et adultera" (Lev. 20,10).

Praeter haec testimonia a nobis aducta ut perspicuum sit Iudaeos poena capitis usos esse, permulta magis etiam sunt quae in Sacris Scripturis inveniri possunt.

Apud Aegyptios poena mortis eminet praesertim eo quod maxima crudelitate applicata sit. "Homicidium , etiamsi in mancipium perpetratum fuisset, morte mulctabatur, et homicida etiam is putabatur qui potens alium e periculo mortis salvum eripere, tamen non eripiebat"(1), sed eum mori sinebat; "otium morte puniebatur" (2).Quoad duritiem mortis erant Aegyptii magistri: igne utebantur ad adulteras occidendas; parricidae autem scindebantur in plures et parvas partes, aut, positi super fasciculos spinarum, cremabantur.

Athaenis a Solone poena mortis antea valde solita restricta est ad punienda sacrilegia, profanationes mysteriorum, seditiones, homicidium praemeditatum, adulterium, nisi moechus cum adulterae marito pretio conveni

ret, stuprum nisi reus vellet constupratam uxorem ducere: "Reus violationis debebat aut mori, aut illam quam violarat uxorem ducere; adulterium mulctabatur morte nisi moechus cum marito pecunia conveniret; marito igitur dabant leges uxorem peccantem vendendi potestatem"(3). As supplicium reus dabatur athaenis per decapitationem, funem, - praecipitium, strangulationem, licet mors per cicutam, - aliaque venena paulatim in usum venit.

Romani quoque poena capitis usi sunt et inter eos mors parricidis infligenda valde mirabilis, nota, dignaque narratu erat: parricida igitur, capite velato, in sacculo immissus cum cane, gallo, simio atque vipera in flumen vel in lacum mittebatur, usque dum ei per suffocationem mors obiret.

Habuerunt etiam poenam mortis germani, anglosaxoni, iberi, galli: omnes populi usque ad saeculum XIX cum Beccaria idearum gratia eam abolire inceptum est.(Primum abolita est apud tuscos, Leopoldo regnante, anno - 1786).

Non est dubium quoque quin usque ad idem s.XIX omnium fere populorum leges codicesque pro gravioribus - criminibus, et aliquando etiam pro parvis, mortem infligi iusserint. Item inter philosophos antiquos nullus est qui licitudinem poenae capitis in dubium vocet, immo plures sunt qui ad punienda pleraque crimina eam indicent.

Ius societatis individuos communitati nocentes extirpandi apud omnes philosophos fundamentum huius poenae est. Ita Doctor Angelicus: "Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur; 'modicum enim fermentum totam massam corrumpit', ut dicitur I ad Cor.V 6". (4).

Mortem ut punitionem admiserunt quoque Molina, Victoria, Bodin, Grotius (licet hic principibus ut capitis condemnatis parcant, suadet), Puffendorf:paucis verbis omnes philosophi atque iuristae usque ad s.XVIII, cum primus abolitionem propugnavit hispanus frater Martin Sarmiento (1772) qui asserit in suo opere "Impugnación del Escrito de los Abogados de la Coruña contra los Foros Benedictinos", societati hominem vivum utiliorem esse quam mortuum, si in loco quoddam ubi compulsus laboret seponatur. Sarmiento impugnationem agredit contra illos dicentes mortem sceleratos deterrere et a delictis eos disuadere.

Attamen est italus Beccaria praeclarissimus quisque inter abolitionem petentes; operibus suis editis ("Dei Dellitti e Delle Pene" praesertim in quo legitimitatem poenae mortis impositionis ut punitionis eiusque utilitatem impugnat) multi scriptores conari coeperunt demonstrare, eius sententiam accipientes, poenam mortis iustificari non posse. Postea opiniones divisae sunt. Beccaria autem, etsi verbis affectu plenis poenam capitis demonstrare non iustificari conatus sit, consiliarius regis Joseph II Austriae, ut lex reos seditionis interfici praecipiens approbaretur suffragavit.

Ab Encyclopaedistis sententia Beccaria multum aucta est et hoc tempore magnae disputationes iniciatae sunt. Usque adhuc nullus in dubium vocaverat poenam mortis licitum esse sed tantum eius commoditatem. Hodie a permultis criminalistis, philosophis, aliisque poena mortis tamquam humanis iuribus hominisque dignitati contraria improbatur.

Notandum est, antequam argumenta adducamus, etiam ab Scoto exceptionibus condicionibusque (praesertim non pro furto poenam mortis licere) prae oculis habitis, aliquando, maxime saeculo XVI praesertim apud anglos et francos supplicio capitali nimis codices poenales usos

esse. In Anglia, dicitur, Enrico VIII regnante, 72.000 hominum (5) occisos lege esse, sex pro unoquoque die, pro 240 criminum ordinibus: ex piscem e stagno prohibito coepisse usque ad proximum interfecisse (6). Forsan hoc aspicientes, permulti commiseratione ducti, poenam mortis illicitam rationibus philosophicis facere voluerunt. Kant inter legis talionis amatores militavit et mortem et scelerato et eius complicibus et suadentibus infligendam postulat, atque Beccaria pessimo commiserationis affectu pulsum credit. Nihilominus ideae Beccariae permultum vulgatae sunt et imperare coeperunt. Eas sequentes divisi sunt ita ut aliqui poenam mortis illicitam, alii hodie non necessariam putent. Gratia exempli audiamus Driesch: "ad obiecta ex punitione requisita (securitatem socialem, criminales deterrere, satisfactionem pro iustitia) adimplenda non poena capitis uti requiritur: sunt substitutus qui eius vices gerere possunt. Praeterea poenam capitis emmendationis possibilitatem reiicit. Si ethica consultetur, ulterius disputatio non detur"(7).

QUID COGITET SCOTUS

Vox aliquorum est Scotum eam non admittere, dicentem praeceptum "Non occides" omnibus etiam principibus esse et hominem non sese arbitrum proximorum vitae constituere posse (8). Sunt etiam qui dicant eum ita argumentari ut etiam legitimam defensionem sui prohibeat et sic pluris individuum societate, partem capite aestimet. Dicitur etiam theologus hispanus Alphonsus de Castro ei (nobis alicui illorum a discipulis interpretationem sive ab inimicis deformationum) respondere, eius (cuius?) impugnans theoriam (quam nos suppositam asserimus), dicensque societati Deum omnes potestates rationes que ad adquisitionem sui finis (boni communis) tuendam conferre, ideoque a Deo ipso poenam mortis, eo quod ad hunc finem tuendum necessaria est, iustificatam

esse. Omnia haec et Scotus admittit et nos dimittimus. Nobis dicendum est hanc contra Scotum accusationem tantum ex assueta circa opera Sutilis ignorantia ortam esse posse. Si hanc Scoto gratuitam imputationem accipientes opera Sutilis legere voluissent melius scivissent quid a Scoto de hoc revera dictum sit. Hoc dicimus opera Scoti attendentes, nam Scoti sententia hac de re haec est:"Ista autem lex talionis iuste est instituta occisoribus in nova lege. Eam Christus primo instituit; patet per illud dictum Jn. 18 'Mitte gladium tuum in vaginam; omnis enim qui percusserit (id est, occiderit, dicit glossa)gladio peribit (9). Attamen dicit, licet hoc non est poenam mortis illicitam putare: "Deus autem absolute praecipit, ne quis occidat, nisi in casibus ab eo determinatis vel non prohibitis explicite, vel implicite; igitur omnis lex praecipiens occidere, nisi Christus Deus hoc statuit, est iniusta, quia in nullo praecepto morali Decalogi potest aliqua lex inferior in aliquo dispensare in eo quod contradicit legi divinae et ideo nihil potest iuste statuere nisi quod statutum est in lege Dei explicite vel implicite. Quare nullus potest aliquem iuste occidere, nisi ut minister legis iuste latae, auctoritate iudicis vel principis, unde non licet occidere nisi in casibus permissis a iure divino in Scriptura"(10).

Et in Scriptura in omnibus casibus occidere permittitur, in quibus necessarium et etiam conveniens ad societatem tuendam est. Eamdem opinionem invenimus in "Quarto libro Sententiarum": "de secundo, quid scilicet statutum est. Respondeo pro primo damno et maximo, scilicet vitae ablationem, regulariter in multibus communitatibus, statuta est lex talionis, scilicet ut homicida moriatur; et rationabiliter, quia scilicet non solum hoc competit legi mosaicae, sed etiam legi naturali et approbatum et confirmatum est in lege evangelica a Christo..." (11). In commentario huius quaestiones legimus : "Conclusio est, quod si lex talionis in omnibus -his criminibus in Scriptura indicatis-statueretur, esset iusta; et idem

dicit, si statueretur contra blasphemum, adulterum, idololatram, fore iustam quia illa lex esset conformis rectae rationi, et in scholio: "iuste statutum esset in communitatibus regulariter, ut iniustus homicida occidatur, quia id conforme est legi, Evangelio, et iuri naturali"(12).

Scotus igitur non negat licitudinem poenae capitis neque praeceptum "Non occides" ita absolutum esse ut eam infligere impediat dicit, ut aiunt. Nihilominus admonitionem faciendam putant ne crimina minora vel melius offensiunculae morte puniantur, sed ut auctoritates, onerata conscientia, videant et iudicent utrum culpa haec vel illa vere suplicii capitalis digna sit: "Caveant itaque principes, qui pro furto plectunt homines lege mortis. Certum est quod non habent Scriptura, sed quod Prov. 6 tales reddant septuplum; ex quo enim Christus Jn. 8 dispensavit cum adultera, quod non moreretur, quod pertinet ad bonum mortis ablatum ab aliquo, multo magis de his, quae pertinent ad lucrum et thesaurum, quae sunt minora bona. Sciant igitur iudices reum aliter satisfacere debere quam per mortem. Et ideo nisi Deus aliquando de istis casibus dispensaverit, iniustae sunt omnes leges civiles, quae iubent homines pro istis interfici (13).

Hodiernis consideratis disputationibus, hanc duplicem quaestionem nobis examinandam sumimus: a) utrum liceat, b) utrum oporteat.

a) UTRUM LICEAT

Plurimorum philosophorum sententiam acceptantes asserimus societatem civilem ius habere, a Deo concessum, pro criminibus societatis finis consecutionem impedientibus, sceleratis poenam mortis infligendi.

<u>Prob</u>: si ius poena capitis utendi necessarium est ad crimina atrociora quae societatis fine impediunt eiusque securitate minantur efficaciter repellenda, societati civili hoc ius a Deo concessum est. Atqui ius poena capitis utendi in omnibus fere casibus saltem, ad haec crimina efficaciter repellenda necessarium est. Ergo.....

<u>Prob. Mai.</u>: societati civili omnia iura ad finis sui convenientem consecutionem necesaaria a Deo concessa sunt: nam opus est ut concessa sint eo quod qui vult finem debet etiam media necessaria velle. Deus tamquam Creator societatis civilis eius finem vult. Ergo Deus, sapientia summa, media necessaria ad hunc finem consecuendum vult. Et ius occidendi a Deo concedi potest: nam hominem occidere non est intrinsece malum; aliter neque a Deo ipso fieri posset,et sic Deus, cum sit Auctor supremusque vitae Dominus, potest non solum uniuscuiusque vitam legitime tolleret, - sed etiam cuilibet hanc potestatem concedere. Cum ita sit, si Deus ius occidendi concedere potest, et hoc ius ad custodiendum finem quemdam ab ipso Deo volitum necessarium est ut concedatur,recte concludendum est a Deo - hoc ius concedi.

<u>Prob. Min.</u>: Et experientia et historia nos docet ita hoc esse. Sunt homines adeo impii, perversi, et in societate fortes qui impunitatem facile vel saltem parvam poenam obtinere possint, et sic libertate fruentes, crimen capitale continue addant; ideoque societas ab iis aliter efficaciter se tueri non potest, nisi eos a suo corpore abscindat, iisque cum vita possibilitatem agendi auferat ne ordinem socialem - plus commovere possint. Exempli causa, videamus quid in patria nostra accidat: poena mortis abolita (1910) adeo terribiliora et crudeliora crimina multiplicata sunt,et ita nefarii procaces evaserunt, ut hodie sint qui 200, 100 vel 80 homines interfecerint. Accidit hoc eo quod

non, cum secundum hominem interfecerint (pro primo crimine etiam gratia benevolentiae parcere posset, etsi videatur iustitia naturalis postulare ne qui vitam alterius abstulerit sua propria frui pergere possit), puniti morte fuerint, et postea, gratia amicorum magni in republica momenti libertate obtinuerunt, sed non ut vitam emmendarent, sed ut iterum crimina, impunitate vel levitate poenae freti, peiora perpetrarent. Itaque hic asserimus sociali securitate inspecta iterum occidentibus poenam mortis infligere plane necessarium esse: si sceleratus effugere, vel libertatem obtinere influentiis potuit et novum crimen committere voluit, adeo societati periculosus est ut haec nisi se tutam nolit, eum occidere debeat.

Quia multi quaerunt nonne ad impedienda pericula quae societati ab hominibus facinerosis imminent poena perpetuae incarcerationis efficax sit, exceptionem, cum in minore dicimus "in omnibus fere casibus saltem", hoc sensu concedimus: haec necessitas poenae captitis, sociali securitate inspecta, "plus et minus" admittere potest si tantum hoc attenditur: ne sceleratus nova crimina committere possit. Sunt igitur nationes in quibus, causa eorum institutionum perfectiones, non scelerato propinqua est possibilitas fugiendi neque iniuste liberandi et, incarceratione inflicta, moraliter societas a novis criminibus tutam se considerare potest. Sunt autem aliae in quibus haec possibilitas propior est, et e contra aliae in quibus carceres adeo securitate carent et respublica tam corrupta est ut scelerati, etiamsi permulta crimina commiserint, libertate frui possint. Maximo dolore dicendum est inter nationes impunitate plenas Columbiam praeminentem locum occupare.

Nihilominus securitas attendenda sola non est, sed etiam satisfactio pro iustitia laesa; hoc est ut poena proportionem cum crimine servet, et hoc saepe per incarcerationem non impletur, sed requiritur mors, praesertim cum sceleratus plures vitas praemeditatione abstulerit.

Poena mortis tamen necessaria maxime est ut societas efficaciter nefarios in potentia ab illis gravioribus criminibus pro quibus infligatur deterrere possit, et, ut iam dictum est, ut poena pro quibusdam criminibus cum culpa proportionem servet. Vita enim inter bona temporalia supremum atque ceterorum fundamentum est, ideoque ab hominibus mors optimi temporalis boni ablatio consideratur et plus quam alium malum timetur. Hoc iam ab antiquis credebatur: φοβερώτατον ὁ θάνατος[14]

Cum in societate multi inveniantur qui solo metu mortis ab illis peioribus criminibus perpetrandis quae societati minant satis efficaciter impediri possint, poena mortis tamquam necessarium ad dissuasionem instrumentum apparet. Itaque necessitas poenae mortis non admittit "plus et minus" si non tantum hoc consideratur:ne sceleratus nova crimina committere possit (iam diximus etiam per incarcerationem in quibusdam casibus quoad hoc securitatem obtineri posse) sed si quoque hoc: ut poena crimini proporcionata sit. Hoc est sufficientia poenae capitis non admittit "plus et minus", si exempli gratia ea uti volumus ad puniendum nefarium qui plena conscientia plures abstulit; immo in permultis casibus minor est poenam capitis quam supplicium quod sceleratus vere mereretur. Si sceleratus non solum plures personas interfecit sed etiam ad haec crimina perpetranda magnam crudelitatem caliditatemque ostendit etiam poena mortis non sufficiens punitio esse posset.

b) UTRUM OPORTEAT

Quidquid necessarium est ut fiat, fieri non oportere non dici potest; atqui poena mortis necesse est ut infligatur saltem in casibus iam supra indicatis.Ergo poena mortis infligi non oportere non dici potest.

Hic tamen dicendum est utile esse summae aucto-

toritatis iure condonandi poenam a lege statutam uti, praesertim in beneficio illorum primum sanguinis crimen committentium, quia ut iam dictum est ut societatis securitas servetur aliquando poena perpetuae incarcerationis satis efficax est, et non semper qui crimen commisit adeo culpabilis est ut absolute poenam capitis mereat. Sunt casus in quibus, quia specialia adiuncta crimini adduntur idque minus faciunt, poena mortis nimis acerba et dura esset et remitti vel partim vel etiam plene posset, absque iustitiae lesione.

Nobis hic quoque considerandam opinionem dicentem poenam mortis licere sed eam non necessariam esse sumimus. Illis dicentibus substitutus esse qui poenae mortis vices gerere possint, respondemus tales substitutus non posse simul adimplere conditionem illam petentem ut poena culpae proportionata sit, et ut homines a criminibus dissuadeat.

Si consideramus quid in pluribus nationibus ubi poena capitis abolita est acciderit, melius hoc ita esse prae oculis habebimus. In Italia, poena mortis abolita pro criminis capitalis reis poena etiam peior sic dicta "ergastuli" instituta est. Haec poena incarcerationi perpetuae equivalet, sed talia et tam acerba adiuncta addita fuerunt ut crebro accidat ut reus ipsam mortem meliorem putet, et etiam sua manu propriam vitam caput in muros percutiens auferat. Contra, in Batavia, nefarii qui antea morti dabantur, hodie perpetua incarceratione plectuntur, sed in conditionibus talibus ut divitum vitam degant: nam interea bonis cellis fruuntur, ephemerides legunt, latrunculorum ludos habent, vel si hoc non iis placet lusoriis chartis uti possunt, et custodes sibi indicandi quomodo melius ludere possint curam imponunt. Ita vita pacatorum avorum degunt, et crimen punitur liberatione curarum, laborum et vitae naturalium difficultatum.

Inimici interni societatis propiores sunt quam externi, et si causa benignitatis multiplicari sinunt, magis periculosi evadunt. Ideo si iniusto inimico externo, ut omnes concedunt, casu belli, ad se tuendam societas - mortem legitime infligere potest, cur non interno qui magis periculosus quam ipse externus evadere potest et contra societatem ipsam maternam ingratus contendit ?

NOTAE

(1) CANTU C., Historia Universal, Trad. de Joaquín García Bravo. Gasso Hnos. Barcelona 1911. V. 2, 32 y 33:"El homicidio, aunque recayese en un esclavo, era castigado con la pena de muerte, y se consideraba asesino al que pudiendo salvar a un hombre en peligro no lo hacía".

(2) C. CANTU, o.c. V.2, 33: "...., y la ociosidad era castigada con la pena de muerte".

(3) C. CANTU, o.c. V.3, 127: "El culpable de violación - debía morir o casarse con aquella a quien había ultrajado. Se castigaba el adulterio con la muerte, si no había composición o precio de dinero con el marido, quien podía además vender a la pecadora".

(4) Summa Theologiae - II-II, q 64, a 2, Resp. (Ed. 1941 Ottawa).

(5) Encyclopaedia Britannica. Eleventh Ed. Cambridge, England N.Y. 1910. V. 5, 279 (Capital punishment).

(6) DONALD TAFT, Criminology (N.Y.: The Macmillan Co., - 1950), p.327; Ut citatum ab Arthur Feltman O.F.M.in "Is Capital punishment justifiable?" in Duns Scotus Philosophical Association Convention Report (V. 23, Cleveland, 1958, p.47).

(7) HANS DRIESCH, Ethical Principles in Theorie and Practice (London; George Allen & Unwin Ltd., 1930) p.101, ut citatum ab Arthur Feltman in opere supra indicato, p. 47: "Capital punishment is not to be admitted in any circunstances. There are sustitutes which completely fulfill all that can be intended by a punish--

ment, such as security, deterrent effect, and satisfaction of justice, besides leaving open the possibility of improvement which is removed by capital punishment. From the ethical point of view there can be no further discussion of this matter".

(8) Haec imputatio ab editoribus operis tantae vulgationis Encyclopaediae Espasa accepta est: Enciclopedia Espasa, Barcelona, V.37, 89 (muerte).
Cf. Quoque "Tertis Fidelis"(Juan Roca Lemus) El Basilisco en acción o Los Crímenes del Bandolerismo, Medellín, 1953[2], Introducción,p.13.

(9) Report. Paris. 4, d.15, q.4, schol.4 (Ed. Vives, Parisiis 1894, V.24, 250).

(10) Id. ib.

(11) Liber IV Sentent. Dist.15, q.3, n.6. (Eadem Ed.V.18, 367).

(12) O. c. p.366.

(13) Report. Paris. 4, d.14 q.4 (45) (Eadem Ed. V.24,250).

(14) ARIST., Ethica, Lib. 3, c.6.

BIBLIOGRAFIA

Ciencias Sagradas

COPLESTON, F.C. El Pensamiento de Santo Tomás. Título original: "Aquinas". Traducción de Elsa Cecilia Frost. Ed. Fondo de Cultura Económica, México, 17,5 cm. 295 p.

La competencia del Padre Copleston ha sido ya manifiesta al mundo estudioso por su "Historia de la Filosofía" y sus estudios sobre Schopenhauer y Nietzsche. El fin de esta su nueva obra es el de contribuir en la encomiosa empresa de actualizar la filosofía perenne en nuestro siglo, que es de lucha, y, a veces, lo que ciertamente es peor, de abandono de tal filosofía. Su propósito no es "defender la doctrina tomista, sino mostrar con la máxima claridad posible un panorama filosófico que puede presentarse oscuro a los lectores exclusivos de las obras científicas y filosóficas modernas.

En la introducción intenta el autor quitar de los lectores ciertas prevenciones, hoy muy comunes, contra el escolasticismo, como son principalmente el creer que su filosofía no era más que premisas puestas para llegar a conclusiones ya admitidas por la fe; que "así como la filosofía tomó el lugar de la teología, así la ciencia ocupa ahora el de la filosofía, cuando menos de la filosofía especulativa"(p.18); el apriorismo, ingenuidad y dogmatismo de sus doctrinas; y, en fin, la trivial solemnidad de muchos de sus principios y sentencias.

"El Pensamiento de Santo Tomás" se agrupa y re

sume en "El mundo y la metafísica", "Dios y la creación", "El hombre (1); cuerpo y alma" y "El hombre (2): moral y sociedad". La obra concluye con una enjundiosa y breve exposición de lo que es y representa hoy el tomismo.

En este estudio se combinan la claridad, la síntesis bien lograda y la profundidad, lo cual hace la obra tan útil a los "novicios" como a los peritos en la filosofía.

Creo que si se introdujeran algunas subdivisiones o subtítulos, que hacen falta, sería más fácil seguir el desarrollo orgánico que se presenta en esta exitosa obra.

FR. RAFAEL MARTINEZ M O.F.M.

ROSIER I, O. Carm., Ovejas sin Pastor. Edic. "Carlos Lohlé", Buenos Aires, 1960, 19,5 cm. 130 p.

Ovejas sin Pastor es una obra de mucha ilustración y objetividad, en donde I. Rosier enfoca varios de los actuales problemas del cristianismo. Cuatro interesantes capítulos integran la presente obra: 1- En busca de la ausencia de Dios; 2- La situación religiosa de Europa; 3- El nacimiento de una nueva época y 4- El protestantismo en Sudamérica.

El contacto personal que ha tenido el autor con el gremio obrero, su competencia en psicología social, y en especial su conocimiento sobre la psicología individual y social de muchos pueblos europeos y de sudamérica, le acreditan suficientemente para valorar con más objetividad el complejo fenómeno de descristianización mundial.

El autor pretende revaluar el concepto de descristianización haciendo ver que la literatura actual emplea este concepto para indicar un ambiente, que habiendo sido cristiano, ya ha dejado de pertenecer al cristia

nismo, y en este caso le convendría mejor la denominación de apóstata, renegado o pagano. El concepto de descristianización para Rosier consiste específicamente en la indiferencia religiosa, en la cual no se encuentra más, una conmoción por Cristo y su Evangelio, su Mensaje de verdad y de felicidad. La descristianización indica una realidad dinámica, señala el proceso de aflojamiento de un estado donde Cristo tiene un puesto central y normativo en los pensamientos y en los actos de la gente, en la dirección de una actitud de vida donde ya no se toma más en cuenta a Cristo.

Sin embargo, cuando el autor Rosier, después de insistir en muchas perspectivas de una pastoral actual, completa y viva, pasa a descargar la responsabilidad de la descristianización a la jerarquía de tal o cual nación, creo que en esto haya injusticia, puesto que si cabe inculpación, a todos por igual, jerarquía y laicado corresponde la misma responsabilidad. Además, los tiempos modernos con su vertiginoso progreso técnico, industrial; con la superpoblación, en especial en Europa, ha encontrado desprevenidos a los estados y aún a la misma Iglesia. Esta modalidad de nuestros tiempos, ha creado la posibilidad de confort en la vida privada y pública, llevando, por lo tanto, a una situación de desconcierto que coloca, en la mayoría de las veces, a los cristianos en la órbita del indiferentismo e insensibilidad ante Cristo y su Evangelio. Pero, como es claro para todo juicio imparcial, este desconcierto procede desde fuera de la Iglesia: la historia siempre ha mostrado que la Iglesia Católica ha estado, en el transcurso de los tiempos, a la altura de su misión divina. En cambio, el querer ver el desarrollo cultural y jurídico de la propia Iglesia como el causante de la descristianización, por haber revestido el cristianismo a través de los siglos de un ropaje que impide a la gente sencilla entender su significado y su función, como parece insinuarlo Rosier, me parece no solamente injusto, sino

también un juicio carente de objetividad.

Finalmente, la Iglesia, con la prudencia y sabiduría que le inspira el Espíritu Santo, sabrá estudiar el período histórico que vivimos, y poner luego en función una pastoral, loable de suyo y muy acertada. No vayamos a pensar que la Iglesia se va a quedar a la zaga de nuestro tiempo!

FR. GONZALO JIMENEZ C. O.F.M.

DANIELOU, JEAN, Los Santos Paganos del Antiguo Testamento. Título original: Les Saints Païens de L'Ancien Testament. Traducción de Delfín Leocadio Garasa. Ed. Carlos Lohlé, Buenos Aires 1960, 19 cm. 114 p.

En verdad, este libro es un magnífico esfuerzo por dejar en claro la voluntad salvífica de Dios. La Sagrada Escritura tiene textos que son fiel testimonio de que Dios vela por sus creaturas con miras al último fin. San Pablo refiriéndose a la universalidad de la ley, presenta nítidamente cómo el pagano es para sí, ley. Y si a esta voluntad divina de hacer salvos a todos los hombres, y a la universalidad de la ley, añadimos que de hecho hubo hombres del Antiguo Testamento, inclusive no pertenecientes al pueblo escogido, que cumplieron a la perfección la ley natural, es lógico que pueda hablarse de santos del Antiguo Testamento, esto es, de hombres que observando aquella, alcanzaron la Visión beatífica. Tales, entre otros: Abel, Enoc, Noé, Job, Melquisedec, Lot, la Reina de Saba.

FR. DARIO MOLINA J O.F.M.

DHEILLY, ABBE, Histoire du Salut, Initiation Biblique. Ed. de L'Ecole, Paris 1960, 19 cm. 300 p.

Este manual para la enseñanza religiosa en las escuelas secundarias y que sirve a la vez como introduc

ción a la inciciación bíblica, es metódico y exquisita-
mente ilustrado. En 22 lecciones el autor resume la His
toria del pueblo de Dios, en las que enmarca los princi
pales acontecimientos del Antiguo Testamento; cada lec-
ción tiene una pequeña síntesis doctrinal y a cada com-
pendio hace preguntas sugestivas que conmueven y hacen
reflexionar cuidadosamente sobre lo principal del conte
nido, como: Avez-vous bien compris....l'importance de
l'alliance de l'homme avec Dieu?.... -l'amour de Dieu -
pour l'homme?..... -que Jésus nous propose la sainteté?
.... -que Jésus est le fils de Dieu?......

Una segunda parte, comprende la vida de Jesús,
en 16 capítulos, que juegan con los hechos y el mundo -
circunstancial del Salvador. Es verdaderamente acertada
la publicación y nos sirve de derrotero para nuestras -
prácticas docentes en nuestros colegios de educación me
dia y aún universitaria.

FR. RAFAEL J. CALLE O. DE M.

BORN, AGUSTIN, Semana Santa. Ed. Sociedad San
Gregorio, Buenos Aires 1958, 15,5 cm. 236 p.

Si se piensa en el interés que para un cris-
tiano reviste la celebración de la Semana Santa, se con
cluye en la necesidad imperante de recurrir a la litur-
gia, como medio aptísimo para la digna conmemoración de
los grandes misterios de la Redención. La Santa Iglesia
en su ánimo de que todos los fieles vivan la liturgia -
con miras a la gloria divina y a la propia santifica---
ción, no cesa de introducir sabias reformas litúrgicas.
Entre ellas, goza de gran respeto la realizada última--
mente para los días santos, por excelencia, del año e-
clesiástico. El libro que ha dado ocasión para este co-
mentario, cumple a cabalidad lo antes apuntado.

FR. DARIO MOLINA J. OFM.

Espiritualidad

CARDONNEL, JEAN, O.P., Du Bon Dieu au Dieu Vivant. Ed. de L'Epi, Paris 1960, 19 cm. 141 p.

